This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


HARVARD UNIVERSITY LIBRARY

Gp 86.537

Harvard College Library

FROM THE

SALISBURY FUND

Given in 1858 by STEPHEN SALISBURY, of Worcester, Mass. (Class of 1817), for "the purchase of books in the Greek and Latin languages, and books in other languages illustrating Greek and Latin books."

PLUTARCHI VITA POMPEII

CUM

CICERONIS TESTIMONIIS COLLATA.

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

SCRIPSIT

D. BRUINS.

ZUTPHANIAE,
APUD A. E. C. VAN SOMEREN.
MDCCCLXXXII.

PLUTARCHI VITA POMPEII

CUM

CICERONIS TESTIMONIIS COLLATA.

PLUTARCHI VITA POMPEII

CUM

CICERONIS TESTIMONIIS COLLATA.

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

M. J. DE GOEJE,

PHIL. THEOR. MAG. ET LIT. HUM. DOCT. ET IN FACULTATE LITERARIA PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS, FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

DIRK BRUINS,

E PAGO DIEREN,

DIE XI MENSIS FEBRUARII A MDCCCLXXXII, HORA III.

ZUTPHANIAE,
APUD A. E. C. VAN SOMEREN.
MDCCCLXXXII.

Gp 86.537

HARVARD COLLEGE
AUG 18 1911
LIBRARY

Salisbury fund

700

Typis H. C. A. THIEME. Neomagi.

OPTIMAE MATRI

ET

PATRIS PIAE MEMORIAE.

Ultimi anni liberae reipublicae id temporis spatium est, quo nullum aliud ex omni historia Romana melius cognosci potest. Aetatem enim tulerunt testimonia aequalium, qui tametsi in media partium contentione non „sine ira et studio" scripserunt, tamen primo loco adhibendi sunt, ut de posteriorum historicorum fide et auctoritate recte iudicetur. Quum igitur mihi proposuerim pauca in medium proferre de iis rebus, quas de Pompeio Plutarchus memoriae tradidit, nihil ad propositum accommodatius fore putavi, quam sub unum conspectum subiicere illos Ciceronis locos, qui cum Plutarchi vita Pompeii conferri possint, ut ostendam, quas res Plutarchus aut false aut parum accurate narraverit.

Inter eos, qui de Plutarchi auctoritate in historia conscribenda disputaverunt, una res constat, eum multis locis fide dignum non esse et nonnumquam ea narrare, quae ipse non satis explorata habuerit. At tum demum hoc ei crimini vertendum esset, si ipse se historicum esse voluisset. Longe alio autem consilio se Vitas suas conscripsisse et hoc potissimum spectavisse, ut hominum mores et indolem exponeret, identidem diserte declarat et etiam in Vita Pompeii: agitur (Cap. VIII) de iis rebus, quas Pompeius gessit adventu Sullae in Italiam; paucis verbis Plutarchus ea narrat, deinde sic pergit: *„ἃς ἔπραξε τότε πράξεις ὁ Πομπήιος..... δέδια κινεῖν, μὴ περὶ τὰ πρῶτα πολλῆς διατριβῆς γενομένης, τῶν μεγίστων καὶ μάλιστα δηλούντων τὸ ἦθος ἔργων καὶ παθημάτων τοῦ ἀνδρὸς ἀπολειφθῶμεν.*' Eodem iure quo reliqua eius scripta *ἠθικὰ* vocantur, etiam Vitas hoc nomine significare liceret, neque mirandum est, quod multa praeterierit, multa negligenter tractaverit, fortasse nonnulla mutaverit, dummodo lectoribus suis ingenium moresque hominum dilucide explanaret. Eam Plutarchi rationem in illis Vitis praesertim ostendere possumus, ubi alia testimonia ad manus sunt. Tum demum apparet, quae fides Plutarcho habenda sit. Quem autem in hac Vita po-

tius mihi testem eligerem quam Ciceronem, qui inde ab adolescentia cum Pompeio consuetudine coniunctus erat, ita ut nullius fere suorum aequalium pluribus locis mentionem fecerit quam Pompeii.

Quaestiones de fontibus, quibus Plutarchus in hac Vita usus est, hic et illic mihi attingendae erunt, quamquam lubrica res est, de qua inter viros doctos parum constat.

Ipsa vita in duas partes dividi potest: prior pars usque ad eum annum, quo Pompeius ex Oriente Romam rediit, altera ab eo anno usque ad finem. Earum rerum, quas Pompeius gessit ante annum 61 a Cicerone paucis locis mentio facta est. Postquam vero Pompeius Romam rediit, ea necessitudo inter utrumque intercessit, quam post varios casus mors sola diremit. (§)

Cap. I—XV agit Plutarchus de Pompeii iuventute usque ad Sullae mortem et M. Lepidi consulatum.

Quum de iis rebus, quas Pompeius in republica gessit, pauca in hac Vita occurrant, quae apud alios scriptores non leguntur, tamen in *his* capitibus nonnulla narrantur, quae aliunde nota non sunt. Sequitur hoc ex ea Plutarchi consuetudine, quam supra indicavi.

(§) Egregie de hac re Drumann. Geschichte Roms.: IV. pag. 325: »Ihre Schicksale waren so innig verbunden, dasz der eine den an deren nie von sich stiess, ohne selbst zu sinken."

Res privatas maiore studio exponit quam publicas, (cf. Vita Alexandri cap. I *οὐ γὰρ ἱστορίας γράφομεν ἀλλὰ βίους*) igitur non mirum est eum de Pompeii iuventute plura nova afferre, quam de illa parte vitae Pompeii, quae, nisi ex aequalium historia illustretur, intelligi non potest. Sin autem quaeritur, quibus fontibus Plutarchus in hac prima parte usus sit, ante omnia ratio habenda est illorum locorum, quibus novi aliquid continetur.

H. Peter (die Quellen Plutarchs in den Biographien der Römer) contendit (pag. 112) Plutarchum in his capitibus sine ulla exceptione alicuius Caesariani auctoritatem secutum esse.

Argumenta quibus haec opinio nititur parum firma mihi videntur. Nam cum iis locis, quibus de fama Pompeii aliquid detrahitur, componendi sunt illi, ubi eximie et praeter modum laudatur. Peter de priore genere affert: cap. I avaritiam Pompeii Strabonis, cap. II Pompeii similitudinem cum Alexandro Magno et *γυναικομανίαν*, cap. X eius crudelitatem in Carbonem et Valerium. At ipse Plutarchus tradit, quis infamiae Strabonis auctor fuerit. (Cap. XXXVII: *Πομπήιον τὸν πατέρα παμπόνηρον ἀπέδειξεν ὁ Ῥουτίλιος ἐν ταῖς ἱστορίαις*) Eundem Cicero vocat (pro Corn. Ascon. pag. 79 Orell.) „hominem dis ac nobilitati perinvisum", etiam (§)

(§) Vell. Pat. 2. 21. 4. »populus Romanus quam vivo iracundiam debuerat in corpus mortui contulit." Eodem capite Velleius tradit

Velleius huius invidiae testis est, igitur satis appareret sic inter omnes hac de re constare, ut Plutarchus nullam aliam auctoritatem quam famam communem secutus esse videatur. Idem valet in illam Alexandri Magni aemulationem (§): cap. XLVI Plutarchus commemorat eos, qui Pompeium omni ex parte Alexandro similem fuisse ostenderent. Num igitur alienum erat etiam hoc loco, ubi figura Pompeii describitur, huius similitudinis mentionem facere? Pompeium autem propter hanc ipsam causam inimicis ludibrio fuisse, Plutarchus etiamsi nullum scriptorem Caesarianum inspexisset, facile coniicere poterat. Itemque pervulgata erat fama de Pompeii crudelitate in anti-Sullanos. Cic Ep. ad Att. IX. 14. 2: „Caesar dixit se Cn. Carbonis, M. Bruti poenas persequi omniumque eorum, in quos Sulla crudelis hoc (Pompeio) socio fuisset." Praeterea Oppius huius rei testis citatur. Nota denique res est a quibusnam inimicis Pompeio illa *γυναικομανία* obiecta sit. cf. (cap XLVIII) Clodii convicia: *τίς ἐστιν αὐτοκράτωρ ἀκόλαστος; τίς ἀνὴρ ἄνδρα ζητεῖ; τίς ἐνὶ δακτύλῳ κνᾶται τὴν κεφαλήν;* Quid Plutarchus ipse de eo senserit diserte declarat (cap. XVIII) *„φύσει γὰρ ἦν σώφρων καὶ τεταγμένος ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις."* —

Strabonem pestilentia absumtum esse, contra Plutarchus: *»ἀπέθανε κεραννωθείς.* Idem App. de B. C. I. 68. Speciosa est coniectura eum revera coniuratione interemtum esse. cf. Mommsen R. G. II. pag. 315.

(§) cf. Sallustius Hist. fragm. III. 6. ed. Kritz.

Nunc videamus, quibus locis et quomodo Pompeius his XV capitibus laudetur; capite primo et initio capitis secundi Pompeii virtutes animi et corporis commemorantur, nulla re minus probanda admixta. Insanae libidinis insimulationi opponuntur modestiae et temperantiae exempla: eum Floram Geminio permisisse et timentem, ne male audiret, praeter naturam Demetrii uxore aspere usum esse. Deinde sequitur frugalitatis exemplum, quod etiam in vita Luculli (cap. XL) exstat. Quae porro de Pompeii iuventute leguntur, omnia ei laudi esse debent: (cap. III) animus firmus et constans in Terentii coniuratione, (cap. IV) innocentia in iudicio de bonis Asculanis et gratia popularis. Praesertim quae de Cinnae morte traduntur nullo modo hausta esse videntur e scriptore Caesariano; nam quid aliud tota illa narratio sibi vult, nisi ut demonstretur, iam tum Pompeium apud milites plus valuisse quam Cinnam. (§)

Capitibus VI—X Pompeii res gestae in Italia post Sullae reditum sic narrantur ut fere conveniant cum Ciceronis verbis in ea oratione qua Pompeium nimiis laudibus extollit (pro lege Manilia 11. 30): „testis Cn.

(§) Verisimiliora de Cinnae morte: (Liv. Epit. Lib. LXXXIII) Cinna ab exercitu suo, quem invitum cogebat naves conscendere et adversus Sullam proficisci, interfectus est. cf. Drum. G. R. IV. 326. Cic. de Nat. Deor. III. 32.: »cur omnium crudelissimus tam diu Cinna regnavit? at dedit poenas."

Pompeii virtutis est Italia, quam ille ipse victor L. Sulla huius virtute et subsidio confessus est liberatam.'' Una res tantum memoratur, quae Pompeio dedecori est, scilicet (cap. IX in fine) quod Sulla ei persuasit, ut dimissa Antistia Aemiliam uxorem duceret. (cf. Plut. Sulla Cap. XXXIII). At leviter Pompeius carpitur: *„ἦν οὖν τυραννικὰ τὰ τοῦ γάμου καὶ τοῖς Σύλλα καιροῖς μᾶλλον ἢ τοῖς Πομπηίου τρόποις πρέποντα.''* Si Plutarchus in hac re Caesarianum secutus esset, non tam modice Pompeium perstrinxisset. Nam quid tum propius fuisset, quam Caesaris exemplo allato, (cf. Plut. Caes. cap. I) Pompeium inconstantiae coarguere?

Quum igitur his et quatuor proximis capitibus, exceptis iis rebus quas supra memoravi, pelluceat voluntas non vituperandi sed laudandi Pompeium, de fontibus hoc coniicere possumus: Plutarchus in hac vitae parte duos auctores adhibuit. Illae enim narratiunculae, quae ad Pompeium solum pertinent et tantum in hac Vita inveniuntur, tribuendae esse videntur cuiusdam auctoritati, qui Pompeio favens eius vitam descripsit, sive Theophanes fuit sive quis alius. Quin autem eius auctoritati totam hanc Vitae partem tribuamus, prohibent aliae res etiam aliunde notae, quibus de Pompeii fama aliquid detrahitur. Ad hanc difficultatem expediendam coniici potest, in hac et in aliis Romanorum Vitis scriptorem, qui totam historiam Romanam tractavisset, Plutarcho ad manum fuisse, eumque hoc communi fonte usum esse, ubi fontes

singulares non suppeditarent aut ea traderent, quae minus probabilia essent. Infra illas quaestiones de fontibus etiam attingam, nunc de nonnullis locis horum capitum videndum est.

Cap. II. ***Διὸ καὶ Λεύκιος Φίλιππος ἀνὴρ ὑπατικὸς συνηγορῶν (τῷ Πομπηίῳ) μηδὲν ἔφη ποιεῖν παρᾶλογον, εἰ Φίλιππος ὢν φιλαλέξανδρός ἐστιν.*** Huius L. Marcii Philippi dicacitatis etiam notissimum exemplum est „Pompeium contra Sertorium non pro consule sed pro consulibus mitti oportere." cf. Plut. Pomp. cap. XVII, Cic pro lege Man. 21. 62. et Philipp. XI. 8. 18. Quo iudicio Pompeii patronus fuerit, Cicero tradit. Brut. 64. 230: „Hortensius cum Philippo iam sene pro Cn. Pompeii bonis dicens in illa causa adolescens cum esset, princeps fuit. cf. Cap. IV de bonis Asculanis iudicium. —

Δημήτριος ὁ ἀπελεύθερος πλεῖστον ἰσχύσας παρὰ Πομπηίῳ.... Anno 55 Cicero ad Atticum scripsit: „Delectarunt me epistolae tuae ... perge reliqua: gestio scire ista omnia. etiam illud cuiusmodi sit, velim perspicias; potes a Demetrio." (ad Att. IV. 11. 1.) Etiam tum Demetrius igitur internuncius fuit inter Pompeium et Atticum. Quantum iam ante annum 61 apud Pompeium valuerit, Plutarchus narrat, Cap. XL cf. Plut. Cato Min. cap. XIII.

Cap. V. ***οὕτω δὲ τοῦ Κίννα τελευτήσαντος ἐδέξατο μὲν***

τὰ πράγματα καὶ συνεῖχε Κάρβων ἐμπληκτότερος ἐκείνου τύραννος, ἐπῄει δὲ Σύλλας τοῖς πλείστοις ποθεινός, ὑπὸ τῶν παρόντων κακῶν οὐδὲ δεσπότου μεταβολὴν μικρὸν ἡγουμένοις ἀγαθόν. Cinnam „crudelem" et Carbonem „omnium improbissimum" fuisse Cicero compluribus locis (§) affirmat, de Sulla autem varie variis temporibus iudicavit. Cum hoc Plutarchi iudicio consentiunt: pro Roscio Amer. 45. 131. „L. Sulla rem publicam regit orbemque terrarum gubernat imperiique maiestatem quam armis recepit, legibus confirmat." Ipso Sulla vivente tale iudicium necessarium erat. Etiam multis annis post quum Cicero senatus auctoritatem contra Antonium defenderet, Sullam, qui illam auctoritatem olim restituerat, laudibus ornavit: Philipp. VIII. 2. 7. „cum Mario et Carbone Sulla pugnavit, ne dominarentur indigni et ut clarissimorum hominum crudelissimam persequeretur (†) necem." Aliis autem locis collatis apparet, quantopere etiam in hac re Cicero sententiam temporibus accommodaverit. Iam in ipsa oratione pro Roscio Amerino vera sententia pellucet: 1. 4. „non modo ignoscendi ratio, verum etiam cognoscendi consuetudo de civitate sublata est." Apertiora sunt quae leguntur: in Verrem III. 35. 31. „unus adhuc fuit post Romam conditam — di immortales faxint, ne sit alter — cui respublica se totam traderet, tem-

(§) Tusc. V. 19. 55. Philipp. XI. 11. ad. Fam. IX. 21. 3. e. a. l.

(†) »Persequeretur" pro vulgata lectione »poeniretur." Mnemosyne N. S. VII pag. 146.

poribus et malis coacta domesticis." Praesertim: in Catil. II. 9. 20. „tantus illorum (Sullanorum) temporum dolor inustus est civitati, ut iam ista non modo homines sed ne pecudes quidem mihi passurae esse videantur." „Regnum Sullanum" a Cicerone ea dominatio vocatur, quae et a Pompeio et a Caesare quaerebatur; iisque opponitur ille moderator „cui beata civium vita proposita est." (Epist. ad Att. VIII. 11. 2). —

Cap. VI. De iis rebus, quas Pompeius gessit ante Sullae adventum in Italiam, comparandum est: Cic. pro lege Man. 10. 28. „Quis igitur hoc homine (i. e. Pompeio) scientior rei militaris umquam aut fuit aut esse debuit? Qui e ludo atque pueritiae disciplinis bello maximo atque acerrimis hostibus ad patris exercitum atque in militiae disciplinam profectus est; qui extrema pueritia miles in exercitu fuit summi imperatoris, ineunte adolescentia maximi ipse exercitus imperator." Drumann (IV. pag. 325) evidenter demonstravit haec verba intelligenda esse de bello sociali anni 89, de bello civili anni 87 et de temporibus sullanis. Quae igitur Cicero indicat: „extrema pueritia miles in exercitu summi imperatoris," conveniunt cum Cap. III „*ἔτι δὲ μειράκιον ὢν παντάπασι καὶ τῷ πατρὶ συστρατευόμενος ἀντιτεταγμένῳ πρὸς Κίνναν.*" Bellum sociale autem, quo etiam Cicero prima stipendia meruerat, Plutarchus omnino in hac Vita praeteriit.

Plura in hoc capite tradit de Pompeio in agro Piceno. cf. Cic. pro lege Man. 21. 61 : Quid tam novum quam adolescentulum privatum exercitum difficili rei publicae tempore conficere? Confecit ; huic praeesse? praefuit ; rem optime ductu suo gerere? gessit." Postea Cicero multum de hac laude detraxit, quum prae Octaviani praesentis gloria Pompeii fama obscuraretur. (Cic. Philipp. V. 16. 44).

Initio Capitis VII legitur: „*Ἀνέστησαν οὖν ἐπ' αὐτὸν τρεῖς ἅμα στρατηγοὶ πολέμιοι, Καρίνας καὶ Κλοίλιος καὶ Βροῦτος.*" Dissentitur, quis Brutus hoc loco significetur. Drumann interpretatur hoc nomen pertinere ad M. Iunium Brutum (§), patrem interfectoris Caesaris, tribunum plebis anno 83, qui Capuam coloniam deduxit (†). At vere Mommsen (*) contendit eum propter ipsum tribunatum hoc bello imperatorem esse non potuisse, igitur eas partes tribuit L. Iunio Bruto Damasippo praetori urbano anni 82. Hunc Damasippum,

---

(§) Drum. IV. pag. 14.

(†) Cic. de lege agraria II. 34. 92: »neque te P. Rulle, omina illa atque auspicia M. Bruti a simili furore deterrent: nam et qui deduxit et qui magistratum Capuae, illo creante, ceperunt et qui aliquam partem illius deductionis honoris, muneris attigerunt, omnes acerbissimas impiorum poenas pertulerunt." Quum tota oratione Pompeii laus praedicetur, tum haec verba dicta sunt in eiusdem gratiam qui Brutum crudeliter et perfidiose interfecit.

(*) Mommsen, Röm. Gesch. II. pag. 226.

cuius plenum nomen apud nullum scriptorem legitur, e gente Iunia fuisse colligitur ex uno loco Appiani (de Bellis Civ. I. 88), quamquam ne Drumanni (§) quidem argumenta omnem dubitationem tollunt. Apud Plutarchum autem Damasippi nomen nusquam occurrit, nam Antistii (cf. Cap. IX) aliorumque caedis auctor non nominatur. Quodsi idem hoc loco intelligendus sit, Plutarchus eodem errore se implicuerit quo Appianus et pro cognomine apud omnes usitato aliud posuerit, quod hic praesertim, ne obscuritas oreretur, evitandum fuisset. Itaque opinor neque M. Brutum „tyrannoctoni" patrem neque L. Iunium Brutum Damasippum Pompeii adversarium fuisse, sed alium eiusdem nominis, fortasse eum, qui uno anno post apud Lilybaeum se ipse interemit. cf. Liv. Epit. lib. LXXXIX: „M. Brutus a Cn. Papirio Carbone, ad quem Cossuram appulerat, missus nave piscatoria Lilybaeum, ut exploraret, an ibi iam Pompeius esset, et circumventus navibus, quas Pompeius miserat, in se mucroni verso ad transtrum navis obnixus corporis pondere incubuit." (†) Hunc Brutum sub adventum Sullae in Italiam Romae degisse, nusquam diserte narratur, sequitur autem ex Livii verbis. Cur enim profugisset cum Carbone, si nullam belli civilis partem attigisset? Dru-

---

(§) Drum. IV. pag. 49.

(†) Eo spectant Ciceronis verba (Epist. ad Att. 9. 14. 2) iam supra citata.

mann putat eundem Brutum anno 88 praetorem, deinde inter proscriptos fuisse. (§) Quod si ita est, coniectura mea quodammodo probatur: vir praetorius enim primo loco erat inter eos, quibus imperium daretur.

Quae porro eodem Capite (VII) narrantur de rebus a Pompeio gestis, antequam cum Sulla se coniunxerit, parum accurata sunt. Dicit Plutarchus Scipionis exercitum cum Pompeio congressum ad eum transiisse, ipsumque Pompeium de Carbone ad Arsim fluvium victoriam reportasse. At Scipionis milites non cum Pompeio sed cum ipso Sulla se coniunxerunt. (Plut. Sulla Cap. XXVIII, Liv. Epit. Lib. LXXXV) Igitur Plutarchus Pompeio tribuit, quae Sullae ascribenda erant. Haec confusio etiam apparet ex ipsius verbis, nam, dum in Sullae vita rem melius exponit, hic fere iisdem vocabulis utitur: Pomp. Cap. VII. „*οἱ Σκηπίωνος ἀσπασάμενοι τοὺς Πομπηίου μετεβάλοντο*" et Sulla Cap. XXVIII: „*οἱ μὲν* (scil. Sullae milites) *ἠσπάσαντο τοὺς Σκηπίωνος, οἱ δ' ἀνταπασάμενοι προσεχώρησαν.*"

Alter Plutarchi error est de proelio ad Arsim (lege: Aesim) ubi non Carbo a Pompeio sed Carrinas a Metello superatus est. (App. de B. C. I. 87) cf. Drum. IV. 328, II. 462.

Cap. IX. In Sullae gratiam Pompeius Antistiam di-

(§) Drum. IV pag. 14. cf. Plut. Sulla cap. IX. Appian. de Bell. v. I. 60.

misit et Aemiliam uxorem duxit. Huius rei acerbitas eo etiam augebatur, quod Antistia propter maritum patre orbatus erat: „*κατεσφάγη γὰρ ὁ Ἀντίστιος ἐν τῷ βουλευτηρίῳ δοκῶν τὰ Σύλλα τηρεῖν διὰ Πομπήιον.*" cf. Cic. Brut. 90, 311. „tumultus interea in recuperanda republica (a° 83) et crudèlis interitus oratorum trium, Scaevolae, Carbonis, Antistii." Socer igitur Pompeii est ille Antistius orator, qui etiam aliis locis in Bruto commemoratur. Quid dicendo valuerit, Cicero tradit: Brut. 63. 226. „P. Antistius rabula sane probabilis.... in tribunatu primum contra C. Iulii illam consulatus petitionem extraordinariam veram causam agens est probatus." Itaque Plutarchus erravit (§), quum contenderet praetorem fuisse illum Antistium, apud quem causa de bonis Asculanis agebatur. Quum enim a° 88 tribunus plebis fuerit, biennio post praeturam gerere non poterat sed iudex quaestionis in ea causa de Pompeio sententiam tulit (†). In Orellii Onomastico Tulliano ad eundem Antistium refertur (*): Cic pro Rosc. Am. 32. 90.

(§) Cap. IV... *ὥστε Ἀντίστιον στρατηγοῦντα καὶ βραβεύοντα τὴν δίκην ἐκείνην ἐρασθῆναι τοῦ Πομπηίου.* Melius Vell. Pat. II. 26. »Damasippus praetor Antistium *aedilicium* in curia Hostilia trucidavit." (†) cf. Drum. I. 55.

(*) Cic. pro L. Corn. Balbo 21. 48: »L. Antistius accusavit T. Matrinium Spoletinum, quem C. Marius civitate donaverat." Ad hunc L. Antistium locus ex oratione pro Roscio Amerino potius referendus est.

Praeter ea argumenta, quae C. Halmium adduxerunt, ut hoc loco alium Antistium significari crederet, etiam huius P. Antistii aetas, quantum ex Bruto colligi potest, obstat, quominus Orellio fides haberi possit. Cic. pro Rosc. Am. l. c. memoratur Antistius senex temporibus Sullanis caesus. P. autem Antistius anno 82 quinquagenario minor erat. „Aetate paulo inferior quam Iulius" (i. e. C. Iulius Caesar Strabo) „conuinctus Sulpicii aetate P. Antistius fuit" (Brutus 49. 182 et 63. 226). C. Caesaris Strabonis annus natalis incidit non ita multo ante annum 130, nam anno 90 aedilis curulis et anno 88 candidatus consulatus fuit (Brutus 89. 305 et 63. 226). Sulpicius autem natus est anno 124, erat enim decem annos maior natu Hortensio, qui „L. Crassso Q. Scaevola coss. undeviginti annos natus erat." (Brut. 88. 301 et 64. 229.) Tuto igitur P. Antistii annus natalis poni potest inter annum 130 et 124.

Cap. X. Postquam Sulla Italiam sibi subegit, Pompeius in Siciliam missus est adversus Perpennam et et Carbonem, qui illam insulam occupaverant. Crudelitatem, quae in hoc mandata exequendo Pompeio a nonnullis obiiciebatur, Plutarchus excusat his verbis: *„Πομπήιος δὲ τοὺς μὲν ἐν δόξῃ μάλιστα τῶν Σύλλα πολεμίων καὶ φανερῶς ἁλισκομένους ἀναγκαίως ἐκόλαζε, τῶν δὲ ἄλλων ὅσους ἐξῆν περιεώρα λανθάνοντας, ἐνίους δὲ καὶ συνεξέπεμπε."* Tum ita pergit, *„Τὴν δὲ Ἰμεραίων*

πόλιν ἐγνωκότος αὐτοῦ κολάζειν γενομένην μετὰ τῶν πολεμίων, Σθένις ὁ δημαγωγὸς αἰτησάμενος λόγον οὐκ ἔφη δίκαια ποιήσειν τὸν Πομπήιον ἐὰν τὸν αἴτιον ἀφεὶς ἀπολέσῃ τοὺς μηδὲν ἀδικοῦντας. Ἐρομένου δὲ ἐκείνου τίνα λέγει τὸν αἴτιον, ἑαυτὸν ὁ Σθένις ἔφη, τοὺς μὲν φίλους πείσαντα τῶν πολιτῶν, τοὺς δ' ἐχθροὺς βιασάμενον. Ἀγασθεὶς οὖν τὴν παρρησίαν καὶ τὸ φρόνημα τοῦ ἀνδρὸς ὁ Πομπήιος ἀφῆκε τῆς αἰτίας πρῶτον ἐκεῖνον, εἶτα τοὺς ἄλλους ἅπαντας." Eadem res duobus aliis locis a Plutarcho narratur: Apophth. Cn. Pomp. III et Praec. Reip. Ger. XIX. At discrimen est in nominibus; *Σθένις* vocatur *Σθέννιος* aut *Σθενίων*, eiusque cives non Himeraei sed Mamertini sunt. Quid huius rei verum sit, Ciceronis testimonio probatur et, quamquam ipsa res parvi momenti est, tamen quum pertinere videatur ad illam de fontibus quaestionem, Ciceronis verba apponam. Sthenii Thermitani quem Verres misere vexaverat, Cicero multis verbis mentionem fecit: in Verrem. II. cap. XXXIV — cap. XLVIII. In illis etiam haec leguntur: cap. XLVI: „magna auctoritate apud cives suos fuit, omnes honores domi suae gessit, oppidum monumentis decoravit. Apud Cn. Pompeium clarissimum virum cum accusatus esset, quod propter C. Marii familiaritatem et hospitium contra rempublicam sensisse eum inimici et accusatores eius dicerent, cumque magis invidioso quam vero crimine arcesseretur, ita a Cn. Pompeio absolutus est, ut in eo ipso iudicio Pompeius hunc hospitio suo dignissimum statueret."

Sthenius ille Thermitanus erat. At Thermae et „ἡ Ἱμεραίων πόλις" idem oppidum est; Himera enim deleta, quos cives belli calamitas reliquos fecerat, ii sese Thermis collocarant in iisdem agri finibus nec longe ab oppido antiquo. (§) Itaque vix dubitari potest, quin idem sit ille Sthenis a Plutarcho et Sthenius a Cicerone nominatus. Nonnulla autem intersunt: apud Plutarchum Sthenis δημαγωγὸς est et ipse Pompeio indicat se civibus suis persuasisse ut cum Mario sentirent. Hac animi magnitudine commotus Pompeius et ei et toti urbi veniam dedit. Simpliciora sunt quae Cicero narrat et hanc ob causam fide digniora videntur. Incredibile enim est, Ciceronem illud praeclarum Sthenii factum, si verum fuisset, nescivisse, aut si scivisset, praetermisisse, quum omnia narraret, quibus Sthenii fama augeri posset.

Itaque Plutarchus hanc narratiunculam cum illis superioribus nimis exornatis de Terentii coniuratione et de Cinnae morte repperisse videtur in ea Pompeii vitae descriptione, qua in hac vitae parte fonte usus est.

Plutarchus et Cicero in eo consentiunt Pompeium

. (§) Cic. in Verr. II. 35, 86.

Unde novum oppidum nomen deduxerit, ipsum vocabulum clamat. Cf. Pind. Olymp. XII. 27. Ergotelem Himeraeum hoc modo alloquitur:

„θερμὰ Νυμφῶν λουτρὰ βαστάζεις, ὁμιλέων παῤ οἰκείαις ἀρούραις."

prudenter et humane Siciliae res administravisse. A Cicerone Verri opponitur locumque obtinet inter eos, „qui in illa provincia ab aequitate, ab lege, ab institutis non recesserunt." „Necessarius est Siciliae" „quam multis cinctam undique periculis non terrore belli sed consilii celeritate explicavit." (§) Huius imperii, quo Pompeius in Sicilia functus est, testes sunt illi Siculi, quos civitate donavit. Nonnulli eorum a Cicerone nominantur: Cn. Pompeius Theodorus, Cn. Pompeius Basiliscus, Cn. Pompeius Philo, qui nominatim civis Romanus vocatur. (†)

Quatuor sequentium capitum (XI—XV) argumentum breviter continetur his Ciceronis verbis: pro lege Man. 21. 61. „(Pompeius) bellum in Africa maximum confecit, victorem exercitum deportavit, quid vero tam inauditum quam equitem Romanum triumphare? at eam quoque rem populus Romanus non modo vidit, sed omnium etiam studio visendam et concelebrandam putavit." cf. 11. 30. „testis (Pompeii virtutis) est Africa, quae magnis oppressa hostium copiis eorum ipsorum sanguine redundavit."

In eadem oratione Cicero nusquam mentionem fecit „Magni" cognominis. Nihilominus non dubitandum

---

(§) In Verr. III. 16. 42.
» » III. 18. 45.
pro lege Man. 11. 30.

(†) in Verr. II. 42. 102.
» » IV. 11. 25.
» » IV. 22. 48.

est de Plutarchi narratione; Cicero enim, quum ea diceret quibus Pompeium populo commendaret, consulto id nomen praeteriit, quod apud multos invidiosum erat. (cf. Plut. Crass. 7). (§) Est etiam alius Ciceronis locus, quo confirmatur opinio, iam anno 66 Pompeio „Magnum" cognomen fuisse: de lege Agr. II. 20. 53. „is (P. Rullus) videlicet antequam veniat in Pontum, litteras ad Cn. Pompeium mittet, quarum ego iam exemplum ab istis compositum esse arbitror: P. Servilius Rullus, tribunus plebis, X vir, S. D. Cn. Pompeio Cn. F. — non credo ascripturum esse, Magno: non enim videtur id, quod imminuere lege conatur, concessurus verbo —" Itaque eo tempore, quo Cicero hanc orationem habuit, i. e. initio anni 63 omnes in litteris Pompeio nomini cognomen Magnum ascribere solebant neque, quae aliorum sententia est (†), res tum adeo usitata ipso bello Mithridatico originem duxit. Multo verisimiliora sunt quae Plutarchus tradit, Pompeium hoc cognomine a Sulla dato inde a bello Sertoriano usum esse. Antiquo tempore duo Maximi erant nominati: ***δύο γοῦν Μαξίμους, ὅπερ ἐστὶ μεγίστους, ἀνηγόρευσεν ὁ δῆμος· Οὐαλλέριον μὲν ἐπὶ τῷ διαλλάξαι στασιάζουσαν αὐτῷ τὴν σύγκλητον, Φάβιον δὲ Ῥοῦλλον, ὅτι πλουσίους τινὰς ἐξ ἀπελευθέρων γεγονότας καὶ καταλελεγμένους εἰς τὴν σύγκλητον ἐξέβαλεν.*** cf. Cic. Brut. 14. 54.: „Videmus item paucis annis post reges exactos, cum plebs

(§) cf. Drum. IV. 335.

(†) Appian. de bello Mithrid. cap. XCVII.

prope ripam Anienis ad tertium miliarium consedisset eumque montem, qui sacer appellatus est, occupavisset, M. Valerium dictatorem dicendo sedavisse discordias, eique ob eam rem honores amplissimos habitos et eum primum ob eam causam Maximum esse appellatum." Q. Fabii Maximi Rulliani historia a Livio (lib. IX cap. 46. 15) traditur idemque a Cicerone (Philipp. V. 17. 48) nominatur inter eos, qui adolescentes admodum consules facti sunt. —

Cap. XV—XX continent Pompeii historiam a morte Sullae usque ad finem belli piratici. Haec omnia Sallustius tractaverat in Historiis, eius igitur auctoritati Peter tribuit, quae apud Plutarchum inveniuntur. Easdem Historias Peter etiam in aliorum Romanorum vitis Plutarchi fontem fuisse putat. Sallustii vestigia agnoscit (§) in tota Sertorii vita, in Luculli vita (Cap. VI—XXXVII, de bello Mithridatico), in Crassi vita (Cap. VIII—XI, de bello servili) et in hac Pompeii vitae parte. Itaque e Peteri sententia Plutarchus nobis bonam partem Historiarum servaverit. Una res tamen dubitationem movet: constat Plutarchum ea Sallustii scripta, quae adhuc integra habemus, non inspexisse, neque Jugurtham in Sullae aut Marii vita neque Catilinam in vita Ciceronis. (†) Magna igitur

(§) H. Peter Quellen Plutarchs etc. pag. 61, 106, 109, 114. Symbola philologorum Bonnensium pag. 445.

(†) Peter pag. 101, 131.

cautio adhibeatur in diiudicanda Historiarum auctoritate, quarum reliquiae rarae nantes in gurgite vasto certum iudicium non admittunt. Num Sallustius auctor fuerit, quem Plutarchus in his Pompeii vitae capitibus secutus sit, pro certo non confirmaverim, hoc tantum ex ipsius Plutarchi verbis colligi potest, res a Pompeio gestas duobus modis aestimari et haec diversa iudicia Plutarcho nota fuisse. Opponuntur *οἱ φιλοῦντες* et *οἱ βασκαίνοντες*. Neutrius auctoritati Plutarchus servilem in modum se addixit. Acerba convicia Lucullo attribuuntur in eo sermone, quem cum Pompeio habuit: Cap. XXXI. *„Ἀμυνόμενος δὲ ὁ Λεύκολλος εἰδώλῳ καὶ σκιᾷ πολέμου τὸν Πομπήιον ἔφη μαχούμενον βαδίζειν, εἰθισμένον ἀλλοτρίοις νεκροῖς, ὥσπερ ὄρνιν ἀργὸν, ἐπικαταίρειν καὶ λείψανα πολέμων σπαράσσειν. οὕτω γὰρ αὐτὸν ἐπιγράψαι Σερτωρίῳ, Λεπίδῳ, τοῖς Σπαρτακείοις, τὰ μὲν Κράσσου, τὰ δὲ Μετέλλου, τὰ δὲ Κάτλου κατωρθωκότος. Ὅθεν οὐ θαυμάζειν, εἰ τῶν Ἀρμενιακῶν καὶ Ποντικῶν πολέμων ὑποβάλλεται τὴν δόξαν ἄνθρωπος ἑαυτὸν εἰς δραπετικὸν* (§) *θρίαμβον ἀμῶς γέ πως ἐμβαλεῖν μηχανησάμενος.”* Plura etiam ab adversariis Pompeio obiiciebantur: (cap. XVI) *πολλὴν ἔσχε Πομπήιος αἰτίαν*, quia Brutum fide violata interfecit; (cap. XX) ingrato animo fuit in Perpennam, *ὡς ἐγκαλοῦσιν ἔνιοι*; (cap. XXI) *ἓν αἰτιᾶσθαι τοῖς βασκαίνουσι περιῆν ὑπόλοιπον*, quod

(§) Fortasse pro *δραπετικὸν* legendum est *Κρητικόν*. Bellum servile Plutarchus iam significavit vocabulis: *τοῖς Σπαρτακείοις*. Praeterea sententia clamat hic ultimo loco memorandum esse i bellum, quod Metellus in insula Creta gessit.

tribuniciam potestatem restituit. (Cap. XXIX) idem illi *βασκαίνοντες* Pompeii lenitatem vituperabant in eos praedones, quos vivos cepit.

Fac Plutarchum aliquem auctorem secutum esse ex illo *τῶν βασκαινόντων* numero, tum quoque illarum criminationum nihil fere redarguisset. Sed longe secus res sese habet. Excusavit enim quae excusari poterant: (Cap. XVI) Pompeio non Catulo maior pars tribuitur in eo tumultu sedando, quem Lepidus excitaverat, (Cap. XVII—XX) Luculli convicio prorsus contraria sunt, quae de bello Sertoriano traduntur, Perpennaeque mors e republica esse iudicatur, (cap. XXI) tribuniciam potestatem restituisse dicitur, ut populo meritas gratias referret. Omnia denique quae in praedones statuerit (cap. XXIX), a Plutarcho laudantur et defenduntur. Restant ea, quae nihil excusationis habent: perfidiose Brutum occidit, vaniloquentia usus est ad senatum scribens se radicitus bellum servile exstirpasse, indigne Metellum Creticum tractavit. De his rebus Plutarchus nequaquam Pompeium purgare conatur; itaque auctorem neutrius partis studio occaecatum adhibuisse videtur. Quum igitur coniecerim Theophanem sive quem alium, qui Pompeio favens eius Vitam composuerit, prioris huius Vitae partis fontem primarium fuisse, tum in his capitibus fallacem illum auctorem Plutarchum abiecisse probabile est, totumque se contulisse ad eum historiae Romanae scriptorem, quem secundo loco etiam in priore parte secutus esset.

Pauca sunt, quae in hac Vitae parte Ciceronis testimoniis illustrari possunt. Omnes civiles dissensiones enumerans Lepidum quoque nominat: Cic. in Catil. III. 10. 24. „L. Sulla P. Sulpicium oppressit: C. Marium custodem huius urbis, multosque fortes viros partim eiecit ex civitate, partim interemit. Cn. Octavius consul armis expulit ex urbe collegam: omnis hic locus acervis corporum et civium sanguine redundavit. Superavit postea Cinna cum Mario: tum vero clarissimis viris interfectis lumina civitatis (§) exstincta sunt. Ultus est huius victoriae crudelitatem postea Sulla: ne dici quidem opus est quanta deminutione civium et quanta calamitate rei publicae. Dissensit M. Lepidus a clarissimo ac fortissimo viro Q. Catulo: attulit non tam ipsius interitus reipublicae luctum quam ceterorum." Huc etiam referendum est dictum Catuli, *ᾧ τὸ καθαρὸν καὶ ὑγιαῖνον μάλιστα τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου προσεῖχεν*,: (Cic. pro Domo 43. 113) „negabas fas esse duo consules esse in hac civitate inimicos reipublicae." —

Belli Sertoriani in oratione pro lege Manilia saepius

(§) Eadem imago legitur Cic. Philipp. V. 14. 39: »Pompeio quod imperio populi Romani lumen fuit exstincto".... Luculentum exemplum Velleii sermonis hic comparari potest: Vell. Pat. II. 52: »Aciem Pharsalicam... et collisa inter se duo reipublicae capita, effossumque alterum Romani imperii lumen..." Cicero et Velleius eodem verbo utuntur, sed abest a Cicerone ille fucus oratorius, qui Velleii sermoni oblitus totam imaginem deformat.

mentio facta est: (11. 30) „testis (Pompeii virtutis) est Hispania, quae saepissime plurimos hostes ab hoc superatos prostratosque conspexit." Mithridatem id egisse, ut cum Sertorio se coniungeret, Plutarchus tradit (Vita Sert. Cap. XXIII, XXIV) itemque Cicero: (pro lege Manilia 4. 9) (§) „Mithridates usque in Hispaniam legatos ac litteras misit ad eos duces, quibuscum tum bellum gerebamus, ut, cum duobus in locis disiunctissimis maximeque diversis uno consilio a binis hostium copiis bellum terra marique gereretur, vos ancipiti contentione districti de imperio dimicaretis." (pro Murena. 15. 32.) Mithridates tantum spe conatuque valuit, ut se Oceanum cum Ponto coniuncturum putaret." Singula facta huius belli in hac Vita perbreviter et minime accurate traduntur. Plutarchus enim in Vita Sertorii easdem res uberius tractaverat aut tractaturus erat, (nam quo ordine hae Vitae scriptae sint, non constat). Victoria apud Valentiam in Sertorii Vita praetermittitur, paucisque tantum verbis memoratur vitae periculum, quod Pompeius ad Sucronem fluvium adiit. (Sert. Cap. XIX).

(§) cf. pro lege Man. 16. 46.: »idem iste Mithridates nonne ad eundem Cn. Pompeium legatum usque in Hispaniam misit? eum quem Pompeius semper legatum iudicavit, ii quibus erat molestum ad eum potissimum esse missum, speculatorem quam legatum iudicari maluerunt." Nimia Pompeii laudandi cupiditate deceptus Cicero hoc loco ea dicit, quae cum supra citatis non conveniunt, neque pro veris haberi possunt. Drum. IV. 426.

Sucronensis proelii fama pervulgata erat. Cic. pro Balbo 2. 5: „unum obiicitur, (L. Cornelium Balbum) natum esse Gadibus, quod negat nemo. cetera accusator fatetur, hunc in Hispania durissimo bello cum Q. Metello, cum C. Memmio et in classe et in exercitu fuisse; ut Pompeius in Hispaniam venerit Memmiumque habere quaestorem coeperit, numquam a Memmio discessisse, Carthagine esse obsessum, acerrimis illis proeliis et maximis Sucronensi et Turiensi (§) interfuisse; cum Pompeio ad extremum belli tempus fuisse." Memmii nomen etiam apud Plutarchum legitur. Nam sine ulla dubitatione Memmius hic a Cicerone nominatus idem est, atque ille, quem Plutarchus tradit a Pompeio in Sicilia relictum esse et cum eo in Hispania fuisse. Maritus erat Pompeii sororis: Cap. XI *„ὁ Πομπήιος Σικελίας ἄρχοντα Μέμμιον κατέλιπε τὸν ἄνδρα τῆς ἀδελφῆς.*" Cecidit in Saguntinorum campis (†): Vita. Sert. Cap. XXI. *„Μέμμιος ὁ τῶν ὑπὸ Πομπηίῳ στρατηγῶν ἡγεμονικώτατος ἐν τῷ καρτερωτάτῳ τῆς μάχης ἔπεσεν.*"

De rebus quae ad huius Memmii vitam pertinent plura e Ciceronis verbis sequuntur. Apparet enim

---

(§) cf. Plut. Sert. Cap. XIX: *„ἐκ δ' ὧν (ὁ Σερτώριος) ἐπηνορθοῦτο τὰς ἥττας μᾶλλον ἐθαυμάζετο νικώντων τῶν ἀντιστρατήγων, οἷον ἐν τῇ περὶ Σούκρωνι μάχῃ πρὸς Πομπήιον καὶ πάλιν ἐν τῇ περὶ Τουττίαν* (lege *Τουρίαν*) *πρὸς τε τοῦτον ὁμοῦ καὶ Μέτελλον.*"

(†) Eo sequitur errare Orellium in Onomastico, putantem hunc Memmium et tribunum pl. anni 66 eundem fuisse.

Memmium iam ante Pompeii adventum cum Metello in Hispania fuisse. Deinde Pompeius eum quaestorem habuit, cui iam initio anni 81 in Africam proficiscens Siciliam provinciam administrandam dederat. Eodem anno aut anno sequenti M. Aemilius Lepidus pro praetore in Siciliam venit (Cic. in Verr. II. 3. 8., III. 91. 212.) Memmius igitur quum Romam rediisset cum Metello in Hispaniam profectus esse videtur.

Obsidionem Carthaginis Novae (§) (illam enim urbem

(§) Suspicor ad hanc Carthaginis novae obsidionem referenda esse duo Sallustii fragmenta. Sall. Hist. fragm. (Ed. Kritz) II 81. »Dubium an insula sit, quod euri atque austri superiactis fluctibus circumlavitur." et. II. 82. »Murum ab angulo dextri lateris ad paludem haud procul remotam duxit." Ad priorem locum Kritz adnotat: »Hoc tamen ex universo loco patet, sermonem esse de paeninsula sive lingua tenui in mare procurrente, cuius pars continenti proxima interdum ita fluctibus obrueretur, ut, quae paeninsula esset vera insula videri posset, vel parum abesset, quin verae insulae speciem praeberet." Haec quadrant cum iis rebus, quas Polybius et Livius tradunt de situ Carthaginis novae: Polyb. 10. 10. »*ἐν δὲ τῷ μυχῷ τοῦ κόλπου προκεῖται χερρονησίζον ὄρος, ἐφ' οὗ κεῖσθαι συμβαίνει τὴν πόλιν περιεχομένην θαλάττῃ μὲν ἀπ' ἀνατολῶν καὶ μεσημβρίας ἀπὸ δὲ τῶν δύσεων λίμνῃ προσεπιλαμβανούσῃ καὶ τοῦ πρὸς ἄρκτον μέρους, ὥστε τὸν λοιπὸν τόπον μεχρὶ τῆς ἑπὶ θάτερα θαλάσσης, ὅς καὶ συνάπτει τὴν πόλιν πρὸς τὴν ἤπειρον, μὴ πλέον ὑπάρχειν ἢ δυοῖν σταδίων.*" et deinde: »*συμβαίνει δὲ τὴν λίμνην τῇ παρακειμένῃ θαλάττῃ σύρρουν γεγονέναι χειροποιήτως.*" cf. Liv. XXVI. 42. Illa lingula igitur, quae fossa intercisa Carthaginem novam cum continente coniungit, iacet a parte septentrionali urbis et ab oriente mare oppositum habet: quod cum Sallustii fragmento bene convenit.

intelligendam esse ex Ciceronis verbis perspicuum est, quum toto hoc loco de rebus Hispaniensibus disputetur) neque apud Appianum neque apud Plutarchum commemoratam reperio. Attamen ex ipsius Ciceronis verbis aliquid colligi potest: non ita multo post Pompeii adventum in Hispaniam Memmius se ei adiunxit eiusque quaestor factus est. Sequitur prima expeditio Pompeii (anno 76) (§) eo consilio suscepta, ut in Hispaniam ulteriorem prorumperet. Iberum transgeditur et de Herennio apud Valentiam victoriam reportat. Hoc tempore forsitan Memmius a Pompeio praemissus sit Carthaginem, ibique obsessus, quum Pompeius ab ipso Sertorio apud Lauronem profligatus ei opem ferre nequiret. Sequenti anno 75 Metellus in meridiana Hispaniae parte meliore fortuna utitur, hostes Carthagine abscedere coguntur; Memmius autem ad Pompeium reversus brevi tempore post in bello occidit. —

Cap. XIX. ***Τέλος δὲ περικόπτων μὲν ἀγορὰς, λιμζόμενος δὲ τὴν χώραν, ἐπικρατῶν δὲ τῆς θαλάσσης ἐξέβαλεν ἀμφοτέρους τῆς ὑφ' ἑαυτὸν Ἰβηρίας ἀναγκασθέντας εἰς ἀλλοτρίας καταφυγεῖν ἐπαρχίας ἀπορίᾳ τῶν ἐπιτηδείων.***

Alterum fragmentum ad obsessos pertinere arbitror, qui ut urbem melius munirent »murum ab angulo dextri lateris ad paludem haud procul remotam duxerunt."

(§) In incerta huius belli chronologia secutus sum eum ordinem, quem Mommsen constituit. (Mommsen R. G. III. 28–31.)

(cf. Vit. Sert. Cap. XXI). Metellus Galliam petivit, Pompeius *ἠναγκάσθη περὶ Βακχαίους διαχειμάσαι μοχθήρως ὑπ' ἀχρηματίας.* Hoc accidit anno 75, nam statim apud Plutarchum sequitur mentio illarum litterarum, quas Pompeius ad senatum misit Lucullo consule i. e. initio anni 74. Ad eiusdem anni 74 finem pertinet: Cic. pro Font. 3. 6. „exercitus Cn. Pompeii maximus atque ornatissimus hiemavit in Gallia, M. Fonteio imperante (cf. Liv. Epit. Lib. XCII.).

Sequenti capite (XX) narratur finis belli Hispaniensis, quod post Sertorii mortem Perpenna nullo modo sustinere potest, proelioque temere commisso, a Pompeio profligatur. Tum Plutarchus ita pergit: „*καὶ διεφθάρησαν οἱ πλεῖστοι τῶν ἡγεμόνων ἐν τῇ μάχῃ. τὸν δὲ Περπένναν ἀχθέντα πρὸς αὐτὸν ἀπέκτεινεν, οὐκ ἀχάριστος οὐδ' ἀμνήμων γενόμενος τῶν περὶ Σικελίαν, ὡς ἐγκαλοῦσιν ἔνιοι, μεγάλῃ δὲ διανοίᾳ καὶ σωτηρίῳ τῶν ὅλων γνώμῃ χρησάμενος.* — Frustra quaesivi, quae causa fuerit, cur Pompeius Perpennae gratiam deberet. Vix enim beneficii loco haberi potest, quod Perpenna e Sicilia abiit, postquam sensit se Pompeio parem non fore. Quod cum nequaquam expediri posse videretur, suspicio mihi orta est, Plutarchum erravisse, ingratique animi mentionem hic insertam pertinere ad alium Pompeii adversarium. Hanc opinionem confirmavit locus Valerii Maximi de iisdem rebus: Val. Max. VI. 2. 8. Omnes enumerantur, qui indemnati sub Pompeio „adulescentulo carnifice" occiderunt. Id agitur ut vivis

coloribus Pompeii improbitas et crudelitas illustretur, attamen, quum Cn. Domitius Ahenobarbus, Brutus, Cn. Carbo et Perpenna nominentur, in Carbonem tantum Pompeius ingratus fuisse dicitur. Plutarchus autem Carbonis mortem narrans nihil eiusmodi commemorat, itaque suspicor eum nomina permutasse et ad Perpennam transtulisse, quae ad Carbonem referenda fuissent. —

Exeunte anno 71 Pompeius in Italiam rediit, postquam in Hispania maximos tumultus sedavit. (Cap. XXI). Quanta fuerit Pompeii potestas in constituendis rebus Hispaniensibus, cernitur Balbi exemplo. Cic. pro L. Corn. Balbo 8. 16; „Nascitur, iudices, causa Cornelii ex ea lege, quam L. Gellius Cn. Cornelius ex senatus sententia tulerunt: qua lege videmus satis esse sanctum, ut cives Romani sint ei, quos Cn. Pompeius de consilii sententia singillatim civitate donaverit." In Italiam rediens Pompeius incidit in reliquias belli servilis nuper a Crasso ad finem perducti. Aliquam huius belli gloriae partem fortuna Pompeio tribuit, quum iam antea haud multum abfuisset, quin Crassus eius auxilium invocaret: Plut. Crass. Cap. XI. *„(Κράσσος) γεγραφὼς τῇ βουλῇ πρότερον ὡς χρὴ καὶ Λεύκολλον ἐκ Θρᾴκης καλεῖν καὶ Πομπήιον ἐξ Ἰβηρίας, μετενόει καὶ πρὶν ἥκειν ἐκείνους ἔσπευδε διαπράξασθαι τὸν πόλεμον, εἰδὼς ὅτι τοῦ προσγενομένου καὶ βοηθήσαντος οὐχ αὐτοῦ τὸ κατόρθωμα δόξει."*

Itaque Cicero aliqua veritatis specie dicere potuit:

pro lege Man. 11. 30. „Italia cum servili bello taetro periculosoque premeretur, ab hoc (Pompeio) auxilium absente expetivit, quod bellum expectatione eius attenuatum atque imminutum est, adventu sublatum atque sepultum." Plutarchus quamquam aperte sententiam non dicit, satis ostendit se hac vaniloquentia deceptum non esse, quod supra iam indicavi Luculli conviciis collatis. —

Consulatus Pompeii duabus praesertim rebus memorabilis est: restituit potestatem tribuniciam et lege Aurelia iudicia inter tres ordines communicata sunt. Cap. XXII: „*ἀπέδωκε τὴν δημαρχίαν τῷ δήμῳ. καὶ τὰς δίκας περιεῖδε αὖθις εἰς τοὺς ἱππέας νόμῳ μεταφερομένας.*" Minus accurate Plutarchus tradit equites iudices factos esse. Non hos tantum sed etiam senatores et tribunos aerarios post legem Aureliam ius dixisse cernitur: Cic. Epist. ad Att. I. 16. 3. (Describitur illud iudicium, quod de sacris Bonae Deae a Clodio pollutis sententiam ferret) „Numquam turpior in ludo talario consessus fuit: maculosi senatores, nudi equites, tribuni non tam aerati quam, ut appellantur, aerarii." — Hac lege iudiciaria itemque illa tribuniciae potestatis restitutione Pompeius popularibus se addixit, cum antea rei publicae formam a Sulla institutam defendisset. Hanc ob causam a multis carpebatur; operae pretium est videre, quomodo Cicero et Plutarchus eum excusent. Cic. de Leg. III. 9. (Quin-

to Ciceroni oratio tribuitur) „Pompeium nostrum ceteris rebus omnibus semper amplissimis summisque effero laudibus, de tribunicia potestate taceo, nec enim reprehendere libet nec laudare possum." (Marcus respondet) Cap. 11. „Pompeium vero quod una ista in re non valde probas, vix satis mihi illud videris attendere, non solum ei quid esset optimum videndum fuisse, sed etiam quid necessarium. Sensit enim deberi non posse huic civitati illam potestatem: quippe quam tantopere populus noster ignotam expetisset, qui posset carere cognita? Sapientis autem civis fuit causam nec perniciosam et ita popularem, ut non posset obsisti, perniciose populari civi non relinquere."

Nemini Cicero persuadebit, Pompeium tali argumento adductum esse ut tribuniciam potestatem restitueret; probabilior ea excusatio est, quam Plutarchus affert: populum nulla re magis Pompeio reconciliari potuisse quam illa restitutione, neque hanc aurae popularis captandae occasionem ab eo praetermissam esse. (§) Id semper egit, ut civium admirationem moveret: hinc illud spectaculum, cum indutus insignibus consularibus et equum manu adducens Gellio et Lentulo se censendum offerret, (†) hinc etiam illa cautio, quam post consulatum adhibuit, ne nimis in publicum prodeundo

---

(§) cf. quae Cicero narrat de prima contione, quam Pompeius consul designatus ad urbem habuit. Cic. in Verr. act. I. 16. 45.

(†) Plut. Pomp. Cop. XXII.

gloriae partem amitteret. Anno 60 Cicero ad Atticum scripsit: (§) „Pompeius togulam illam pictam tuetur silentio suam," iisque verbis indicavit, qualis tum Pompeii conditio fuerit. Eadem quodammodo valent ad hoc biennium, antequam imperium contra praedones ei delatum est. —

De belli piratici causis magna ex parte consentiunt Plutarchus (Cap. XXIV et XXV) et Cicero (pro lege Man. 11. 31.): „hieme aut referto praedonum mari erat navigandum, nulla provincia a praedonibus libera, multae sociorum urbes aut metu relictae aut captae,.... XII secures in praedonum potestatem pervenerunt,.... ex Miseno eius ipsius liberi, qui cum praedonibus antea *ibi* bellum gesserat, a praedonibus sublati sunt." De hac re Plutarchus; „*ἦλω δὲ καὶ θυγάτηρ Ἀντωνίου θριαμβικοῦ ἀνδρὸς εἰς ἀγρὸν βαδίζουσα καὶ πολλῶν χρημάτων ἀπελυτρώθη.*" Propter Plutarchi verba: „*θριαμβικοῦ ἀνδρός*" intelligitur filia M. Antonii oratoris (†), qui aº 103 pro consule fuit in Cilicia et aº 102 truimphavit. Manet autem aliqua difficultas in Ciceronis verbis: „qui cum praedonibus antea *ibi* (i. e. apud Misenum) bellum gesserat." Quomodo enim M. Antonius orator, cui Cilicia provincia obtigerat, apud Misenum cum praedonibus bellum gerere potuit? Aptius hoc quadrare videtur in M. Antonium Creti-

(§) Cic. Ep. ad Att. I. 18. 6.

(†) Drum. I. pag. 541.

cum, cui ante septennium idem imperium delatum erat (§) atque Pompeio, et qui totius orae maritimae curator Misenum etiam sub ditione habebat. Fortasse Creticum cognomen Plutarcho imposuit, ita ut virum triumphalem eum fuisse crederet. cf. Plut. Anton. cap. I: *„πατὴρ (Ἀντωνίου) ὁ Κρητικὸς ἐπικληθεὶς Ἀντώνιος."* Hunc Antonium numquam triumphasse, Cicero testatur: (in Verr. III. 91. 213.) „Antonium, cum multa contra sociorum salutem, multa contra utilitatem provinciarum et faceret et cogitaret, in mediis iniuriis eius et cupiditatibus mors oppressit." —

Lege Gabinia perlata (†) Pompeius bellum suscepit contra praedones. Bipartito hoc bellum divisit: Plut. Cap. XXVI *„παντάπασιν ἐκάθηρε τῶν αὐτόθι λῃστηρίων τὸ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος, τὸ Λυβικὸν, τὸ περὶ Σαρδόνα καὶ Κύρνον καὶ Σικελίαν ἡμέραις τεσσαράκοντα ταῖς πάσαις"* déinde paucos dies in Italia moratus, „undequinquagesimo die totam ad imperium populi Romani Ciliciam adiunxit" (pro lege Man. 12. 35). Totum igitur bellum ad finem perductum est *„οὐκ ἐν πλείονι χρόνῳ τριῶν μηνῶν"* (cap. XXVIII) quod etiam a Cicerone

(§) Vell. Pat. II. 31.

(†) Ex iis, quae apud Ciceronem inveniuntur (pro lege Man. 17. 52 et 15. 44) patet, Gabinium non nominatim de Pompeio sed de uno imperatore contra praedones constituendo legem promulgasse, populum autem unum sibi Pompeium imperatorem depoposcisse. Plura de hac re disputavit vir doct. J. G. Lely: Plutarchus et Appianus de bellis Mithrid. pag. 36.

Memmium iam ante Pompeii adventum cum Metello in Hispania fuisse. Deinde Pompeius eum quaestorem habuit, cui iam initio anni 81 in Africam proficiscens Siciliam provinciam administrandam dederat. Eodem anno aut anno sequenti M. Aemilius Lepidus pro praetore in Siciliam venit (Cic. in Verr. II. 3. 8., III. 91. 212.) Memmius igitur quum Romam rediisset cum Metello in Hispaniam profectus esse videtur.

Obsidionem Carthaginis Novae (§) (illam enim urbem

(§) Suspicor ad hanc Carthaginis novae obsidionem referenda esse duo Sallustii fragmenta. Sall. Hist. fragm. (Ed. Kritz) II 81. »Dubium an insula sit, quod euri atque austri superiactis fluctibus circumlavitur." et. II. 82. »Murum ab angulo dextri lateris ad paludem haud procul remotam duxit." Ad priorem locum Kritz adnotat: »Hoc tamen ex universo loco patet, sermonem esse de paeninsula sive lingua tenui in mare procurrente, cuius pars continenti proxima interdum ita fluctibus obrueretur, ut, quae paeninsula esset vera insula videri posset, vel parum abesset, quin verae insulae speciem praeberet." Haec quadrant cum iis rebus, quas Polybius et Livius tradunt de situ Carthaginis novae: Polyb. 10. 10. »*ἐν δὲ τῷ μυχῷ τοῦ κόλπου προκεῖται χερρόνησίζον ὄρος, ἐφ' οὗ κεῖσθαι συμβαίνει τὴν πόλιν περιεχομένην θαλάττῃ μὲν ἀπ' ἀνατολῶν καὶ μεσημβρίας ἀπὸ δὲ τῶν δύσεων λίμνῃ προσεπιλαμβανούσῃ καὶ τοῦ πρὸς ἄρκτον μέρους, ὥστε τὸν λοιπὸν τόπον μεχρὶ τῆς ἑπὶ θάτερα θαλάσσης, ὅς καὶ συνάπτει τὴν πόλιν πρὸς τὴν ἤπειρον, μὴ πλέον ὑπάρχειν ἢ δυοῖν σταδίων.*" et deinde: »*συμβαίνει δὲ τὴν λίμνην τῇ παρακειμένῃ θαλάττῃ σύρρουν γεγονέναι χειροποιήτως.*" cf. Liv. XXVI. 42. Illa lingula igitur, quae fossa intercisa Carthaginem novam cum continente coniungit, iacet a parte septentrionali urbis et ab oriente mare oppositum habet: quod cum Sallustii fragmento bene convenit.

nioni quam vir doct. J. C. Vollgraff (§) proposuit: Plutarchum secutum esse quendam Romanarum rerum scriptorem, qui Graeco sermone usus esset.

Ex his capitibus vix unus alterve locus est, quo Ciceronis testimonium comparari potest.

Cap. XXX. „*ἐνστάντος δὲ τοῦ καιροῦ* (legis Maniliae) *τὸν δῆμον φοβηθέντες ἐξέλιπον καὶ κατεσιώπησαν οἱ λοιποί ‚Κάτλος δὲ τοῦ νόμου πολλὰ κατηγορήσας*".... Praeter Catulum etiam Hortensius verba fecit contra legem Maniliam. cf. Cic. pro lege Man. 17. 51. „At enim vir clarissimus, amantissimus reipublicae, vestris beneficiis amplissimis adfectus, Q. Catulus, itemque summis ornamentis honoris, fortunae, virtutis, ingenii praeditus, Q. Hortensius ab hac ratione dissentiunt.... Quid igitur ait Hortensius? Si uni omnia tribuenda sint, unum dignissimum esse Pompeium, sed ad unum tamen omnia deferri non oportere." —

Idem proelium apud Euphratem, quo Plutarchus tradit Mithridatem fugatum esse, Cicero commemorat: pro Murena 16. 34. „cuius (Pompeii) ex omnibus pugnis, quae sunt innumerabiles, vel acerrima mihi videtur illa, quae cum rege commissa est et summa contentione pugnata; qua ex pugna cum ille se eripuisset et Bosporum confugisset, quo exercitus adire non posset, etiam in extrema fortuna et fuga nomen

(§) J. C. Vollgraff, Greek writers on Roman history pag. 69.

retinuit regium." Sequuntur: „itaque ipse Pompeius regno possesso, ex omnibus oris ac notis sedibus hoste pulso, tantum in unius anima posuit, ut cum omnia, quae ille tenuerat, adierat, sperarat, victoria possideret, tamen non ante quam illum vita expulit bellum confectum iudicavit." Ex his verbis apparet eo tempore, quo Cicero Murenam defendit, mortem Mithridatis Romae notam fuisse. Tum Ciceronis consulatus in exitu erat, Catilina iam reliquerat urbem, Cato tribunus designatus nondum magistratum adierat. (§) Oratio igitur habita est ultimis diebus mensis Novembris aut primis diebus mensis Decembris anni 63. Initio huius anni Mithridates adhuc vivebat, vel saltem eius mors nondum Romae percrebruerat. cf. Cic. de lege agr. II. 19. 52. „nondum bello confecto, cum rex amisso exercitu, regno expulsus tamen in ultimis terris aliquid etiam nunc moliatur atque ab invicta Cn. Pompeii manu Maeote et illis paludibus et itinerum angustiis atque altitudine montium defendatur, cum imperator in bello versetur, eos agros.... X viri vendent?" —

In Tigranem Pompeium clementem se praestitisse Cicero confirmat, (pro Sestio 27. 58). Prorsus haec

---

(§) Cic. pro Murena 37. 80.
» » » 37. 78.
» » » 38. 81.

conveniunt cum iis rebus, quae apud Plutarchum inveniuntur: „hunc (Tigranem) Cn. Pompeius cum in suis castris supplicem abiectum vidisset, erexit atque insigne regium, quod ille de suo capite abiecerat, reposuit et certis rebus imperatis regnare iussit." De Tigrane filio, quem Pompeius Romam secum abduxit, infra sermo erit. —

De Pompeii domo a Plutarcho et a Cicerone diversa traduntur: Cap. XL. *„καίτοι Πομπήιος αὐτὸς ἄχρι τοῦ τρίτου θριάμβου μετρίως καὶ ἀφελῶς ᾤκησεν. Ὕστερον δὲ Ῥωμαίοις τοῦτο δὴ τὸ καλὸν καὶ περιβόητον ἀνιστὰς θέατρον, ὥσπερ ἐφόλκιόν τι, παρετεκτήνατο λαμπροτέραν οἰκίαν ἐκείνης, ἀνεπίφθονον δὲ καὶ ταύτην, ὥστε τὸν γενόμενον δεσπότην αὐτῆς μετὰ Πομπήιον εἰσελθόντα θαυμάζειν καὶ πυνθάνεσθαι, ποῦ Πομπήιος Μάγνος ἐδείπνει. Ταῦτα μὲν οὖν λέγεται."* Itaque si Plutarcho fides habenda sit, Pompeius iuxta theatrum domum sibi aedificavit; aliam enim explicationem locus citatus, me iudice, non admittit (§). Theatrum situm erat in Campo Martio; Pompeium vero in Carinis domum habuisse, patet ex Clodii dicto: Cic. de Har. resp. 23. 49. „.... cum in contionibus (Clodius) diceret, velle se in Carinis aedificare alteram porticum,

(§) Drumann (IV. 537) Plutarchi verba sic exponit: Pompeium non *iuxta* theatrum sed *simul cum* theatro domum exstruxisse. At ἐφόλκιον scapha est navi annexa. (cf. Plut. Pomp. cap. LXXIII). Quid igitur haec imago sibi vult, nisi ut locorum vicinitas significetur.

quae Palatio responderet." Ibi Pompeius habitavit usque ad mortem; Sexto enim filio paterna domus, quae ab Antonio possidebatur, in Carinis erat (§). Ex his sequitur Pompeii domum theatri ἐφόλκιον dici non posse; melius sic nominarentur porticus illae, quibus Pompeius theatrum circumdedit. Plut. Brut. Cap. XIV.

Nota res est Antonium sectorem Pompeii fuisse; huic igitur tribuenda est illa admirantis exclamatio: „Ubinam Pompeius Magnus coenare solebat!" Frugalitas, quam Plutarchus his verbis comprobat, etiam a Cicerone laudatur; ne autem Plutarchi verba nimis ad litteram accipiamus, Cicero idem nos admonet iis rebus, quas de bonis a Pompeio relictis et ab Antonio dissipatis in Philippicis memoriae tradidit: Cic. Philipp. II. 27. 66. „incredibile ac simile portenti est, quonam modo illa tam multa, quam paucis, non dico mensibus, sed diebus effuderit, maximus vini numerus fuit, permagnum optimi pondus argenti, pretiosa vestis, multa et lauta supellex et magnifica *multis locis*, non illa quidem luxuriosi hominis sed tamen abundantis: horum paucis diebus nihil erat."

Cap. XLII. **Ἐν δὲ Ῥόδῳ γενόμενος πάντων μὲν ἠκροάσατο τῶν σοφιστῶν καὶ δωρεὰν ἑκάστῳ τάλαντον ἔδωκε. Ποσειδώνιος δὲ καὶ τὴν ἀκρόασιν ἀνέγραψεν, ἣν**

(§) Plut. Anton. cap. XXXII. Vell. Pat. II. 77.

ἔσχεν ἐπ' αὐτοῦ πρὸς Ἑρμαγόραν τὸν ῥήτορα περὶ τῆς καθόλου ζητήσεως ἀντιταξάμενος. Constat Pompeium bis Posidonium adiisse, primo *„ἡνίκα ἐπὶ τὸν λῃστρικὸν πόλεμον ἐξῆλθεν"* (Strabo XI. 1.); iterum „confecto Mithridatico bello" (Plin. Hist. Nat. VII. 31). Etiam Cicero (Quaest. Tusc. II. 25. 61) narrat, „Pompeium, cum Rhodum venisset decedens ex Syria, audire voluisse Posidonium; sed cum audisset eum graviter esse aegrum, quod vehementer eius artus laborarent, voluisse tamen nobilissimum philosophum visere: quem ut vidisset et salutavisset honorificisque verbis prosecutus esset molesteque se dixisset ferre, quod eum non posset audire, at ille: „Tu vero, inquit, potes; nec committam, ut dolor corporis efficiat, ut frustra tantus vir ad me venerit. Itaque eum graviter et copiose de hoc ipso, nihil esse bonum nisi quod esset honestum, cubantem disputavisse, cumque quasi faces ei doloris admoverentur, saepe dixisse: „Nihil agis dolor! quamvis sis molestus, numquam te esse confitebor malum."

His locis de Pompeio et Posidonio in unum collatis, vir Clar. J. Bake „Posidonii Rhodii reliquiae doctrinae" ita pergit (pag. 17): Hunc sermonem (a Cicerone memoratum) diversum esse ab illa disputatione adversus Hermagoram (vide Plutarchi locum supra laudatum) non opus est ut demonstremus; de tempore autem ita nobis videtur, hunc Ciceronis locum referendum esse ad annum piratici belli 67,

gloriae partem amitteret. Anno 60 Cicero ad Atticum scripsit: (§) „Pompeius togulam illam pictam tuetur silentio suam," iisque verbis indicavit, qualis tum Pompeii conditio fuerit. Eadem quodammodo valent ad hoc biennium, antequam imperium contra praedones ei delatum est. —

De belli piratici causis magna ex parte consentiunt Plutarchus (Cap. XXIV et XXV) et Cicero (pro lege Man. 11. 31.): „hieme aut referto praedonum mari erat navigandum, nulla provincia a praedonibus libera, multae sociorum urbes aut metu relictae aut captae,.... XII secures in praedonum potestatem pervenerunt,.... ex Miseno eius ipsius liberi, qui cum praedonibus antea *ibi* bellum gesserat, a praedonibus sublati sunt." De hac re Plutarchus; „*ἦλω δὲ καὶ θυγάτηρ Ἀντωνίου θριαμβικοῦ ἀνδρὸς εἰς ἀγρὸν βαδίζουσα καὶ πολλῶν χρημάτων ἀπελυτρώθη.*" Propter Plutarchi verba: „*θριαμβικοῦ ἀνδρός*" intelligitur filia M. Antonii oratoris (†), qui aº 103 pro consule fuit in Cilicia et aº 102 truimphavit. Manet autem aliqua difficultas in Ciceronis verbis: „qui cum praedonibus antea *ibi* (i. e. apud Misenum) bellum gesserat." Quomodo enim M. Antonius orator, cui Cilicia provincia obtigerat, apud Misenum cum praedonibus bellum gerere potuit? Aptius hoc quadrare videtur in M. Antonium Creti-

(§) Cic. Ep. ad Att. I. 18. 6.

(†) Drum. I. pag. 541.

quo Romam rediit usque ad consulâtum Caesaris. Perbreviter haec omnia in hac Vita narrantur, sic tamen ut summatim bene conveniant cum iis rebus, quas aliunde compertas habemus: Pompeius antequam Italiam attigit, hoc animo fuisse videtur, ut crederet sibi tantas laudes bellicas adepto omnes et omnia praesto fore. Longe haec spes eum fefellit: neque quae Metellus Nepos ad populum tulit, perduci ad finem potuerunt, neque ipse impetravit ut comitia consularia differrentur. Nihilominus Brundisium appulsus exercitum dimisit, (§) et primum id egit, ut Catonem acerrimum adversarium sibi conciliaret. Hic autem repudiata affinitatis coniunctione Pompeium impugnare non desiit, adiutus a Lucullo, qui iniurias olim acceptas ulcisci cupiebat. Ab his adversariis in senatu superatus Pompeius ad populum se contulit, cumque ne hic quidem multa proficeret, tandem Caesari se permisit et ab eo accepit, quae ipse per se consequi non potuerat. Haec fortunae varietas etiam cum Cicerone Pompeium coniunxit. Altius repetendae sunt

---

(§) Cap. XLIII: »ὁ *Πομπήιος ἐκέλευσε διαλύεσθαι κατὰ πόλιν ἑκάστους καὶ τρέπεσθαι πρὸς τὰ οἰκεῖα, μεμνημένους αὖθις ἐπὶ τὸν θρίαμβον αὐτῷ συνελθεῖν.*"

Dio Cassius (XXXVII. 21), Appianus (de bello Mithr. CXVII), et Velleius (II 40) confirmant ne triumpho quidem Pompeii exercitum interfuisse. App. l. l. »*εἵποντο δ' αὐτῷ μετὰ τὸ ἅρμα οἱ συστρατευσάμενοι τῶν ἡγεμόνων, οἱ μὲν ἐφ' ἵππων οἱ δὲ πεζοί.*"

„Gloria circumfluens" Pompeius in Italiam rediit. Quantas laudes bellicas adeptus sit, saepius praedicatur; Cicero exclamat „eius res gestas atque virtutes isdem quibus solis cursus regionibus ac terminis contineri" (§); „eum tot habere triumphos, quam orae sunt partesque terrarum, tot victorias bellicas, quot sunt in rerum natura genera bellorum" (†).

Nihilominus verissima est Plutarchi observatio, inde a tempore tertii triumphi omnia in peiorem partem versa et mutata esse: Cap. XLVI. *„ὁ δὲ ἐπέκεινα χρόνος αὐτῷ τὰς μὲν εὐτυχίας ἤνεγκεν ἐπιφθόνους, ἀνηκέστους δὲ τὰς δυστυχίας."* Cicero ipse, qui Pompeium tantis laudibus extulit, huius sententiae testis est, si ea comparamus, quae in epistolis memoriae tradidit. Ibi enim cernitur, qualis Pompeii Romam reversi fuerit conditio, quam inconstanter partium contentione districtus tandem a Caesare circumventus sit. Ad illam Pompeii imaginem a Cicerone descriptam sequentia capita exigere conabor.

H. Peter annotat (pag. 118), Plutarchum in reliqua parte huius Vitae, ultimis capitibus exceptis (LXXIII—LXXX), pauca nova afferre, sed ea tra-

(§) Cic. in Catil. IV. 10. 21.

(†) Cic. pro Balbo 4. 9.

dere, quae etiam in aliis Vitis leguntur. Comparandae sunt Vitae Ciceronis, Caesaris, Catonis Minoris et Crassi. Quod si e capitibus XLIV—LVII omnia secernuntur, quae cum illis Vitis congruunt, tum haec tantum restant:

Cap. XLV.: descriptio triumphi.

Cap. XLVIII.: Tigranes Pompeii captivus a Clodio abductus. Clodii convicia in Pompeium.

Cap. XLIX.: Pompeius a Clodio petitus domi manet. Cura annonae Pompeio mandatur. Agitur de Ptolemaeo in Aegyptum reducendo.

Cap. L.: Pompeii dictum: *„πλεῖν ἀνάγκη, ζῆν οὐκ ἀνάγκη."*

Cap. LI.: Theatri dedicatio.

Cap. LIII.: narratiuncula de Pompeii veste cruore respersa, quae Juliae causa abortus fuerit.

Cap. LV.: Cornelia Pompeii uxor. Iudicia Scipionis et Hypsaei.

Cap. LVI.: Pompeii dictum se habere Caesaris epistolam, qua hic affirmaret, se successorem sibi mitti velle et imperium abdicare.

Cap. LVII.: Pompeius Neapoli morbo afflictus.

Ergo omnia fere, quae non ad Pompeium solum sed ad universam horum annorum historiam pertinent, etiam alibi inveniuntur. Nonnullae illarum rerum prope isdem vocabulis narrantur in Vitis Catonis Minoris et Caesaris. e. g.

Pomp. Cap. XLIV.

ἐπεὶ δὲ ὁ νόμος οὐκ εἴα πρὸ τοῦ θριάμβου παρελθεῖν εἰς τὴν πόλιν, ἔπεμψεν ἀξιῶν εἰς τὴν βουλὴν ἀναβαλέσθαι τὰς τῶν ὑπάτων ἀρχαιρεσίας καὶ δοῦναι ταύτην αὐτῷ τὴν χάριν, ὅπως παρὼν Πείσωνι συναρχαιρεσιάσῃ. Κάτωνος δὲ πρὸς τὴν ἀξίωσιν ἐνστάντος οὐκ ἔτυχε τοῦ βουλεύματος

Cato Min. Cap. XXX.

Πομπήιος δὲ μέγας ἀπὸ τῆς στρατείας ἐπανιὼν .... προὔπεμψεν ἀξιῶν τὰς ὑπατικὰς ἀρχαιρεσίας ἀναβαλέσθαι τὴν σύγκλητον, ὡς ἂν αὐτὸς παρὼν Πείσωνι συναρχαιρεσιάσῃ. Τῶν δὲ πλείστων ὑπεικόντων, ... ὁ Κάτων .... ἀντεῖπε καὶ μετέστησε τὴν βουλὴν ὥστε ἀποψηφίσασθαι.

Deinde utroque loco, sed in Catonis Vita paullo uberius traditur memoriae Pompeium cum Catone affinitate se coniungere voluisse, Catonem hoc repudiasse, neptibus aegre ferentibus, illas autem, cum Pompeius propter ambitum in Afranii gratiam male audiret, Catonis sententiam probavisse:

αἱ δὲ ἀκούσασαι συνέγνωσαν βέλτιον αὐτῶν ἐκεῖνον λογίζεσθαι περὶ τοῦ πρέποντος.

ὡμολόγουν ἐκεῖναι κάλλιον αὐτὸν βεβουλεῦσθαι διακρουσάμενον.

Pomp. Cap. XLVI.

Λεύκολλον, ὡς ἐπανῆλθεν ἐξ Ἀσίας ὑπὸ Πομπηίου περιυβρισμένος, αὐτίκα τε λαμπρῶς ἡ σύγκλητος ἐδέξατο καὶ μᾶλλον ἔτι Πομπηίου παραγενομένου κολούουσα τὴν δόξαν ἤγειρεν ἐπὶ τὴν πολιτείαν ... ἐκπίπτων δὲ καὶ περιωθούμενος ὁ Πομπήιος ἠναγκάζετο δημαρχοῦσι προσφεύγειν καὶ προσαρτᾶσθαι μειρακίοις ὧν ὁ βδελυρώτατος καὶ θρασύτατος Κλωδιος....

Cato. Min. Cap. XXXI.

Λευκόλλυν δὲ περὶ τῶν ἐν Πόντῳ διατάξεων στασιάσαντος πρὸς Πομπήιον, ἠξίουν γὰρ ἰσχύειν ἑκάτερος τὰ ὑφ' αὐτοῦ γενόμενα, καὶ Λευκόλλῳ Κάτωνος ἀδικουμένῳ περιφανῶς προσαμύνοντος, ἐλαττούμενος ὁ Πομπήιος ἐν συγκλήτῳ, ... Κλωδίου περιείχετο τοῦ τότε θρασυτάτου τῶν δημαγωγῶν....

Pomp. Cap. XLVII.

Ἐναντιουμένου δὲ τοῦ συνάρχοντος αὐτῷ Βύβλου καὶ Κάτωνος ἐῤῥωμενέστατα τῷ Βύβλῳ παρεσκευασμένου βοηθεῖν, προαγαγὼν ὁ Καῖσαρ ἐπὶ τοῦ βήματος Πομπήιον ἐμφανῆ καὶ προσαγορεύσας ἠρώτησεν, εἰ τοὺς νόμους ἐπαινοίη· τοῦ δὲ συμφήσαντος, »Οὐκοῦν ' εἶπεν »ἄν τις τοὺς νόμους βιάζηται, εἰς τὸν δῆμον ἀφίξῃ βοηθῶν;" »Πάνυ μὲν οὖν" ἔφη ὁ Πομπήιος »ἀφίξομαι πρὸς τοὺς ἀπειλοῦντας τὰ ξίφη μετὰ ξίφους καὶ θυρεὸν κομίζων." Τούτου Πομπήιος οὐδὲν οὔτε εἶπεῖν οὔτε ποιῆσαι μέχρι τῆς ἡμέρας ἐκείνης φορτικώτερον ἔδοξεν, ὥστε καὶ τοὺς φίλους ἀπολογεῖσθαι φάσκοντες ἐκφυγεῖν αὐτὸν ἐπὶ καιροῦ τὸ ῥῆμα.

Caes. Cap. XIV.

Ἐν δὲ τῇ βουλῇ τῶν καλῶν τε καὶ ἀγαθῶν ἀντικρουσάντων,..... εἰς τὸν δῆμον ἐξεπήδησε καὶ περιστησάμενος ἔνθεν μὲν Κράσσον ἔνθεν δὲ Πομπήιον ἠρώτησεν εἰ τοὺς νόμους ἐπαινοῖεν. Ἐπαινεῖν δὲ φασκόντων, παρεκάλει βοηθεῖν πρὸς τοὺς ἐνίστασθαι μετὰ ξιφῶν ἀπειλοῦντας. Ἐκεῖνοι δὲ ὑπισχνοῦντο· Πομπήιος δὲ καὶ προσεῖπεν, ὡς ἀφίξοιτο πρὸς τὰ ξίφη μετὰ τοῦ ξίφους καὶ θυρεὸν κομίζων. Ἐπὶ τούτῳ τοὺς μὲν ἀριστοκρατικοὺς ἠνίασεν, οὐκ ἀξίαν τῆς περὶ αὐτὸν αἰδοῦς, οὐδὲ τῆς πρὸς τὴν σύγκλητον εὐλαβείας πρέπουσαν, ἀλλὰ μανικὴν καὶ μειρακιώδη φωνὴν ἀκούσαντας, ὁ δὲ δῆμος ἥσθη.

Pomp. Cap. XLVIII.

Ἐκ δὲ τούτου Πομπήιος ἐμπλήσας στρατιωτῶν τὴν πόλιν ἅπαντα τὰ πράγματα βίᾳ κατεῖχε. Βύβλῳ τε γὰρ εἰς ἀγορὰν τῷ ὑπάτῳ κατιόντι μετὰ Λευκόλλου καὶ Κάτωνος ἄφνω προσπεσόντες κατέκλασαν τὰς ῥάβδους, αὐτοῦ δέ τις κοπρίων κόφινον ἐκ κεφαλῆς τοῦ Βύβλου κατεσκέδασε, ...

Cato. Min. Cap. XXXII.

φοβηθέντες ἐχώρουν διὰ βίας καὶ πρῶτον μὲν αὐτῷ τῷ Βύβλῳ καταβαίνοντι κοπρίων ἐπεσκεδάσθη κόφινος, ἔπειτα τοῖς ῥαβδούχοις προσπεσόντες αὐτοῦ κατέκλασαν τὰς ῥάβδους.

Pomp. Cap. LI.

ὥστε ὑπερβαλόντος αὐτοῦ τὰς Ἄλπεις καὶ διαχειμάζοντος ἐν Λούκῃ, τῶν μὲν ἄλλων ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν ἀμιλλωμένων καὶ φερομένων πολὺ πλῆθος γενέσθαι, συγκλητικοὺς δὲ διακοσίους, ἐν οἷς καὶ Πομπήιος ἦν καὶ Κράσσος, ἀνθυπάτων δὲ καὶ στρατηγῶν ἑκατὸν εἴκοσι ῥάβδους ἐπὶ ταῖς Καίσαρος θύραις ὀφθῆναι.

Caesar Cap. XXI.

τῶν ἐπιφανεστάτων ἀνδρῶν καὶ μεγίστων οἱ πλεῖστοι συνῆλθον πρὸς αὐτὸν εἰς Λοῦκαν, Πομπήιος τε καὶ Κράσσος καὶ Ἄππιος ὁ τῆς Σαρδόνος ἡγεμὼν καὶ Νέπως ὁ τῆς Ἰβηρίας ἀνθύπατος, ὥστε ῥαβδούχους μὲν ἑκατὸν εἴκοσι γενέσθαι, συγκλητικοὺς δὲ πλείονας ἢ διακοσίους.

Sequuntur plane eadem de conditionibus, quibus triumviratus renovatus est. (§)

Interdum Plutarchus tam negligenter res enarrat, ut quid in fonte communi invenerit, tum demum appareat, si locos e diversis Vitis componamus, e. g.:

Pomp. Cap. LI.

Ἐπὶ τούτοις ἐξενεχθεῖσιν εἰς τοὺς πολλοὺς χαλεπῶς ἔφερον οἱ πρῶτοι· καὶ Μαρκελλῖνος ἐν τῷ δήμῳ καταστὰς ἀμφοῖν ἐναντίον ἠρώτησεν, εἰ μετίασιν ὑπατείαν. Καὶ τῶν πολλῶν ἀποκρίνασθαι κελευόντων, πρῶτος Πομπήιος εἶπεν, ὡς τάχα μὲν ἂν μετέλθοι, τάχα δὲ οὐκ ἂν μετέλθοι· Κράσσος δὲ πολιτικώτερον· οὕτω γὰρ ἔφη πράξειν, ὁποτέρως ἂν οἴηται τῷ κοινῷ συνοίσειν. Ἐπιφυομένου δὲ Πομπηίῳ Μαρκελλίνου

Crass. Cap. XV.

Ἐπὶ τούτοις οἱ περὶ Κράσσον εἰς Ῥώμην ἐπανελθόντες εὐθὺς ἦσαν ὕποπτοι, καὶ πολὺς ἐχώρει διὰ πάντων λόγος οὐκ ἐπ' ἀγαθῷ γεγονέναι τὴν σύνοδον αὐτῶν. Ἐν δὲ τῇ βουλῇ Μαρκελλίνου καὶ Δομιτίου Πομπήιον ἐρωτώντων, εἰ μέτεισιν ὑπατείαν, ἀπεκρίνατο τυχὸν μὲν μετιέναι, τυχὸν δὲ μὴ μετιέναι· καὶ πάλιν ἐρωτώμενος ἔφη μετιέναι τοῖς δικαίοις πολίταις, μὴ μετιέναι δὲ τοῖς ἀδίκοις. Τούτου δὲ δόξαντος ὑπερηφά-

(§) In Vita Crassi Cap. XIV. breviter idem narratur.

καὶ ῥᾳδίως λέγειν δοκοῦντος, ὁ Πομπήιος ἔφη πάντων ἀδικώτατον εἶναι τὸν Μαρκελλῖνον. ὃς χάριν οὐκ ἔχει. λόγιος μὲν ἐξ ἀφώνου δι' αὐτὸν, ἐμετικὸς δὲ ἐκ πεινατικοῦ γενόμενος.

νους ἀποκρίσεις καὶ τετυφωμένας ποιεῖσθαι, μετριώτερον ὁ Κράσσος εἶπεν, εἰ τῇ πόλει συμφέρει μετιέναι τὴν ἀρχὴν, εἰ δὲ μὴ, πεπαῦσθαι.

Consensus horum locorum, quorum numerus facile augeri posset, (§) me in eam opinionem adduxit, Plutarchum in his Vitis eodem temporis spatio conscriptis (†) praeter fontes singulares uno communi fonte

---

(§) cf.: Pomp. cap. XLVI, Luc. cap. XLII, Cic. cap. XXXI; Pomp. cap. XLVIII, Cic. cap. XXXIII; Pomp. cap. XLIX, Cic. cap. XXXIII; Pomp. cap. LII, Cato Min. cap. XLI sqq; Pomp. cap. LIV, Cato Min. cap. XLVII, Caes. cap. XXVIII; Pomp. cap. LVI, Caes. cap. XXIX; Pomp. cap. LVIII, Caes. cap. XXX; Pomp. cap. LX, Cato Min. cap. LII; etc. –

(†) In Caesaris Vita Plutarchus bis annotat se Pompeii Vitam conscripturum esse:

Caes. cap. XXXV. Caesare adveniente Pompeius Brundisium se contulit et paulo post in Graeciam traiecit, *ὡς ἐν τοῖς περὶ ἐκείνου γραφησομένοις τὰ καθ' ἕκαστον δηλωθήσεται.*

Caes. cap. XLV. *Ἀλλ' οὗτος* (Pompeius) *μὲν οἷαις ὕστερον χρησάμενος τύχαις, ὅπως τε παραδοὺς ἑαυτὸν τοῖς Αἰγυπτίοις ἀνδράσιν ἀνῃρέθη, δηλοῦμεν ἐν τοῖς περὶ ἐκείνου γράμμασιν.*

Praesens tempus »*δηλοῦμεν*" satis ostendit, Plutarchum tum et Caesaris et Pompeii Vita occupatum fuisse.

In Catonis Vita Pompeii Vita citatur:

Cato cap. LIV: »*Ταῦτα* (de pugna Pharsalica) *μὲν οὖν ἐν τοῖς περὶ Πομπηίου γέγραπται.*

Praeterea narratiunculae de Catone, quae Pomp. cap. XL (Antiochiae incolas Catonem Demetrii loco salutavisse) et cap. LV (Ca-

usum esse, idque eo scriptore, cuius vestigia etiam in superioribus huius Vitae partibus indagare conatus sum (pag. 7. 22. 34).

Cap. XLIV—Cap. XLVIII confuse narratur Pompeii historia inde ab eius reditu in Italiam usque ad exilium Ciceronis. Quae antea Romae acciderant anno 62, omnino praetereuntur. Hic etiam Vita Catonis comparanda est (Cap. XXVI—XXIX), ubi Plutarchus tradit, Q. Metellum Nepotem tribunum pleb. tulisse: ***Πομπήιον Μάγνον ἰέναι κατὰ τάχος μετὰ τῶν δυνάμεων εἰς Ἰταλίαν.*** Quae res cum per vim ageretur, Cato qui eodem anno tribunus pleb. erat vehementer collegae restitit; hic autem, nihil proficiens, ad Pompeium se contulit. cf. Cic. pro Sestio 29. 62: „Consecutus est ipsius (Catonis) tribunatus. quid ego de singulari magnitudine animi eius ac de incredibili virtute dicam? meministis illum diem, cum templo (§) a collega occupato, nobis omnibus de vita eius viri et civis timentibus, ipse animo firmissimo venit in templum et clamorem hominum auctoritate, impetum improborum virtute sedavit."

---

tonem auribus manus admovisse ne Pompeii laudationem in Planci iudicio audiret) leguntur et quae repetuntur: Cato cap. XIII et cap. XLVIII, documento sunt duas Vitas fere eodem tempore esse conscriptas. De Ciceronis Crassique Vitis nihil constat. cf. S. Lion Commentatio de ordine, quo Plutarchus Vitas scripserit. pag. 15.

(§) »ὁ *νεὼς τῶν Διοσκούρων*." Plut. Cato. min. Cap. XXVII.

Eadem Catonis constantia comitiorum consularium dilatio a Pompeio petita impedita est. At ex Plutarchi verbis (Cap. XLIV) hoc colligatur necesse est: Pompeium iam Italiam attigisse cum hanc dilationem peteret. Rursus in Vita Catonis (Cap. XXX) res melius exponitur: Pompeium iter facientem *praemisisse*, qui a senatu peterent, ut comitia consularia differrentur. Exeunte anno 62 Pompeius in Italiam revertit. Cicero enim (Epist. ad Att. I. 12) Kal. Ian. a. 61. „Pompeianos prodromos" commemorat; ex quo intelligi potest, Pompeium tum iamiam Romae exspectari. Alter Plutarchi error ex eadem epistola redarguitur. Quid enim sibi vellent illa: „divortium Muciae valde probatur," nisi recenti re haec epistola scripta esset. Plutarchus autem (Cap. XLII) tradit: *„πλησίον δ' Ἰταλίας γενόμενος... (ὁ Πομπήιος) ἔπεμψεν αὐτῇ (τῇ Μουκίᾳ) τὴν ἄφεσιν."* Adiicit: *„ἐν δ' ἐπιστολαῖς Κικέρωνος ἡ αἰτία γέγραπται."* Fuerit in aliis epistolis, quam quae nuuc supersunt: locus enim laudatus unicus est quo huius divortii mentio facta est. (§)

Pompeius quum anno 62 frustra in suam ipsius

(§) Drum. IV. 478.

J. A. Froude (Caesar, a Scetch. London 1879) pag. 152 probare conatur, famam de adulterio, quod Caesar cum Mucia commisisset (Sueton. Div. Iul. Cap. L), sparsam esse ab optimatibus, ut Pompeium a Caesare abalienarent.

gratiam comitiorum consularium dilationem petisset, sequenti anno summa ope enisus est, ut Afranius consul crearetur. Pisonem in hac re adiutorem habuit; supplenda enim sunt Plutarchi verba testimonio Ciceronis: Epist. ad Att. I. 16. 12. (scr. Romae mense Maio a. 61) „nunc est exspectatio comitiorum, in quae omnibus invitis trudit Magnus noster Auli filium, atque in eo neque auctoritate neque gratia pugnat, sed quibus Philippus omnia castella expugnari posse dicebat, consul autem .... suscepisse negotium dicitur et domi divisores habere; quod ego non credo, sed senatus consulta duo iam facta sunt odiosa, quod in consulem facta putantur, Catone et Domitio postulante, unum ut apud magistratus inquiri liceret, alterum cuius domi divisores habitarent, adversus rem publicam." Aliter Plutarchus rem exponit contendens ipsum Pompeium civibus in hortos suos venientibus tributim pecuniam divisisse, ut eos Afranio conciliaret.

In Pompeii aetate indicanda (Cap. XLVI) levis Plutarchi error est. Pompeius enim, *ὅτι τὸν τρίτον θριαμβον ἀπὸ τῆς τρίτης ἠπείρου κατήγαγεν,* non *τοῖς τετταράκοντα προσῆγεν,* sed iam quadragenario maior erat. Hoc ita sese habere ipse Plutarchus alio loco testatur narrans, Pompeium quum exercitum colligeret in Piceno a. 83 viginti tres annos natum fuisse (Cap. VI).

Nunc videamus, quae ex Plutarchi sententia (Cap. XLVI) Pompeii conditio fuerit inde ex eo tempore

quo Romam rediit usque ad consulâtum Caesaris. Perbreviter haec omnia in hac Vita narrantur, sic tamen ut summatim bene conveniant cum iis rebus, quas aliunde compertas habemus: Pompeius antequam Italiam attigit, hoc animo fuisse videtur, ut crederet sibi tantas laudes bellicas adepto omnes et omnia praesto fore. Longe haec spes eum fefellit: neque quae Metellus Nepos ad populum tulit, perduci ad finem potuerunt, neque ipse impetravit ut comitia consularia differrentur. Nihilominus Brundisium appulsus exercitum dimisit, (§) et primum id egit, ut Catonem acerrimum adversarium sibi conciliaret. Hic autem repudiata affinitatis coniunctione Pompeium impugnare non desiit, adiutus a Lucullo, qui iniurias olim acceptas ulcisci cupiebat. Ab his adversariis in senatu superatus Pompeius ad populum se contulit, cumque ne hic quidem multa proficeret, tandem Caesari se permisit et ab eo accepit, quae ipse per se consequi non potuerat. Haec fortunae varietas etiam cum Cicerone Pompeium coniunxit. Altius repetendae sunt

---

(§) Cap. XLIII: »ὁ *Πομπήιος ἐκέλευσε διαλύεσθαι κατὰ πόλιν ἑκάστους καὶ τρέπεσθαι πρὸς τὰ οἰκεῖα, μεμνημένους αὖθις ἐπὶ τὸν θρίαμβον αὐτῷ συνελθεῖν.*"

Dio Cassius (XXXVII. 21), Appianus (de bello Mithr. CXVII), et Velleius (II 40) confirmant ne triumpho quidem Pompeii exercitum interfuisse. App. l. l. »*εἵποντο δ' αὐτῷ μετὰ τὸ ἅρμα οἱ συστρατευσάμενοι τῶν ἡγεμόνων, οἱ μὲν ἐφ' ἵππων οἱ δὲ πεζοί.*"

huius necessitūdinis causae, ut ea recte aestimari possint, quae in Ciceronis epistolis hoc temporis spatio conscriptis de Pompeio traduntur.

Q. Tullius Cicero in libro de petitione consulatus (13. 51) fratrem sic admonet: „efficiendum etiam illud est, ut sciant omnes Cn. Pompeii summam esse erga te voluntatem et vehementer ad illius rationes te id assequi, quod petis, pertinere." Eadem Marci sententia erat: scripserat enim Attico mense Quintili a. 65, quum a spe consulatus etiam longius abesset: (ad. Att. I. 1. 2) „illam manum tu mihi cura ut praestes, quoniam propius abes, Pompeii nostri amici; nega me ei iratum fore, si ad mea comitia non venerit."

Etiam post consulatum Cicero id egit, ut quae fecisset, Pompeio probaret; hanc ob rem epistolam ad eum misit „de suis rebus gestis et de summa republica" (§), neque stomachum dissimulare potuit, cum Pompeius non satis ad ea animum attendisse videretur: Epist. ad Fam. V. 7. 3. (scr. Romae a. 62 ad Pompeium) „ac ne ignores, quid in tuis litteris („quas publice misisti") desiderarim, scribam aperte....: res eas gessi, quarum aliquam in tuis litteris et nostrae necessitudinis et reipublicae causa gratulationem exspectavi." Verba: „reipublicae causa" ostendunt quamobrem Cicero Pompeii benevolentiam

(§) Cic. pro Sulla 24. 67.

tanti aestimaret. Speravit enim se contra illam factionem, quae propter Catilinariorum supplicium sibi succenseret, tutiorem fore, si omnibus innotuisset Pompeium sibi consentire. Sperare non destitit, postquam Pompeius Brundisium appulit; nam in eadem epistola, quam supra laudavi, scripsit: (ad Att. I. 12. 3) „Pompeium nobis amicissimum constat esse."

At longe discrepant quae mox sequuntur: (ad Att. I. 13. 4) „tuus autem ille amicus — scin quem dicam? — nos, ut ostendit, admodum diligit, amplectitur, amat, aperte laudat; occulte, sed ita ut perspicuum sit, invidet; nihil come, nihil simplex, nihil ἐν τοῖς πολιτικοῖς honestum, nihil illustre, nihil forte, nihil liberum." Sincera fides numquam inter eos intercessit. Cicero quidem a. 61 multa dicit de illa familiaritate, quae causa fuerit, cur „nostri isti comissatores coniurationis barbatuli iuvenes illum in sermonibus Cn. Ciceronem appellent (§)." Mense Decembri idem memoratur: „utor Pompeio familiarissime," sed adiicitur: „cavebo, quae sunt cavenda (†)." Remanet igitur quaedam suspicio amicorum candori contraria. Melius hoc exprimi non potest quam ipsius Ciceronis verbis: „illae ambitiosae fucosaeque amicitiae sunt in quodam splendore forensi, fructum domesticum non habent (*)." Ex utraque parte ambitiosa

(§) ad. Att. I. 16. 11 (scr. Romae, mense Maio a. 61.)

(†) ad Att. I. 17. 10.

(*) ad Att. I. 18. I.

amicitia erat. Quid Cicero ambiret, cum alterius amicitiam quaereret, supra iam vidimus, sed etiam Pompeius sua tantum causa Ciceroni se adiunxit. Ad senatum se convertens multa exspectare poterat ab eius ingenio, praesertim cum animadvertisset eum in curia plus quam antea valere (§).

Nullae Ciceronis ad Atticum epistolae exstant a mense Maio usque ad mensem Decembrem a. 61; nihil igitur ex eius testimonio sciscitari licet, quae res tum a Lucullo et Catone in senatu actae sint; hoc tantum apparet mense Decembri multa mutata esse. Cur enim Cicero Attico se excusavisset de illa cum Pompeio familiaritate, nisi dissensio orta esset inter Pompeium et optimates? Ad hoc temporis punctum referenda videntur quae Plutarchus tradit: (Cap. XLVI) *„ἐκπίπτων δὲ καὶ περιωθούμενος ὁ Πομπήιος ἠναγκάζετο δημαρχοῦσι προσφεύγειν καὶ μειρακίοις."* Errat autem Plutarchus pergens: *„ὧν ὁ βδελυρώτατος καὶ θρασύτατος Κλώδιος ἀναλαβὼν αὐτὸν ὑπέῤῥιψε τῷ δήμῳ, καὶ παρ' ἀξίαν καλινδούμενον* (†) *ἐν ἀγορᾷ ἔχων καὶ περιφέρων ἐχρῆτο τῶν προς χάριν ὄχλου καὶ κολακείαν γραφομένων καὶ λεγομένων βεβαιωτῇ, καὶ προσέτι μισθὸν ἤτει, ὥσπερ οὐ καταισχύνων ἀλλ' εὐεργετῶν, ὃν ὕστερον ἔλαβε παρὰ Πομπηίου, προέσθαι Κικέρωνα, φίλον ὄντα καὶ πλεῖστα δὴ πεπολιτευμένον ὑπὲρ αὐτοῦ."* Prorsus

(§) Quod Cicero lepide descripsit: ad Att. I. 14. 2—4.

(†) Sic scripsi pro vulgata lectione: *κυλινδούμενον*. Cf. C. G. Cobet. Observ. in Dion. Hal. pag. 45.

temporis ordo negligitur in hac narratione. Clodius quidem iam eo tempore Ciceroni molestus erat, sed nequaquam tantum valebat, ut Pompeius se ei permisisse dici posset. Ne hoc accideret et ut ipse contra Clodium et popularium factionem munitior esset, Cicero tam familiariter Pompeio utebatur. Videbat enim se nihil sperare posse ab illis optimatibus, quos Rhintonis versiculo praeclare descripsit:

„οἱ μὲν παρ' οὐδέν εἰσι, τοῖς δ' οὐδὲν μέλει." (§)

Intellexit se omni auxilio destitutum inimicorum telis obiectum fore, si salutem suam commisisset illis „piscinariis", „qui ita sunt stulti, ut amissa republica piscinas suas fore salvas sperare videantur." (†) Pompeium igitur sibi devincire cupiens Cicero operam dedit, ut lex Flavia perferretur. Leviter Plutarchus hanc legem significat: (Cato Min. Cap. XXXI) *„ἐλαττούμενος ὁ Πομπήιος ἐν συγκλήτῳ καὶ δημαγωγῶν ἐπὶ νομὴν χώρας ἐκάλει τὸ στρατιωτικόν."* cf.: Cic. Ep. ad Att. I. 19. 4 (scr. Romae Id. Mart. a. 60) „urbanae autem res sic se habent: agraria lex a Flavio tribuno pl. vehementer agitabatur auctore Pompeio, quae nihil populare habebat praeter auctorem. ex hac ego lege secunda contionis voluntate omnia illa tollebam, quae ad privatorum incommodum pertinebant;..... huic toti rationi agra-

(§) Ep. ad Att. I. 20. 3.

(†) Ep. ad Att. I. 19. 6.

» » » I. 18. 6.

riae senatus adversabatur, suspicans Pompeio novam quandam potentiam quaeri; Pompeius vero ad voluntatem perferendae legis incubuerat; ego autem magna cum agrariorum gratia confirmabam omnium privatorum possessiones — is enim est noster exercitus hominum, ut tute scis, locupletium —; populo autem et Pompeio, nam id quoque volebam, satisfaciebam emptione, qua constituta diligenter et sentinam urbis exhauriri et Italiae solitudinem frequentari posse arbitrabar. Sed haec tota res interpellata bello refrixerat."

Huic epistolae Atticus ita respondisse videtur, ut Ciceronem admoneret, ne Pompeio se nimis adiungeret. Sequuntur enim excusationes eiusdem generis, atque illae sunt, quas supra verbo attigi: Ep. ad Att. I. 20. 2. (scr. Romae mense Maio a. 60) „Fuit ratio mihi fortasse ad tranquillitatem meorum temporum non inutilis, sed mehercule reipublicae multo etiam utilior quam mihi, civium improborum impetus in me reprimi, cum hominis amplissima fortuna, auctoritate, gratia fluctuantem sententiam confirmassem et a spe malorum ad mearum rerum laudem convertissem; quod si cum aliqua levitate mihi faciendum fuisset, nullam rem tanti existimassem, sed a me ita sunt acta omnia, non ut ego illi assentiens levior, sed ut ille me probans gravior videretur."

Eadem aliis verbis repetuntur: Ep. ad Att. II. 1. 6, sed adiicitur: „quid si etiam Caesarem, cui nunc

venti valde sunt secundi, reddo meliorem, num tantum obsum reipublicae?" Scripta est haec epistola mense Iunio a. 60; lex Flavia ad nihilum redacta erat („quod de agraria lege quaeris, sane iam videtur refrixisse"); instabant autem comitia consularia et Caesar Romae exspectabatur („Lucceius quid agat, scribam ad te, cum Caesarem videro, qui aderit biduo"). Ep. ad Att. I. 17. 11 (scr. Romae Mense Decembri a. 61) qui consulatum petituri erant enumerantur: Lucceius, Caesar et Bibulus. Ad eandem rem spectat quod Cicero scribit (l. l.), Caesari ventos valde secundos esse. Hoc igitur constat: Mense Decembri a. 61 iam nota res erat, Caesarem animum induxisse ut consulatum peteret; antequam Romam rediit, ei venti valde secundi erant, i. e. certus fere consul putabatur. Cicero autem hoc scribens nullo verbo commemorat, illum hac in re a Pompeio aut a Crasso adiutum esse. De horum trium virorum coniunctione mentionem facit sequenti epistola, (ad Att. II. 3) scripta Romae mense Decembri a. 60, idque iis verbis, ut aliquid novi fuisse videatur. Quamquam igitur Plutarchus rem sic exponit (§), quasi primus, qui dicitur, triumviratus iam exstiterit, antequam Caesar consul crearetur, et Mommsen (†) eandem sententiam sequitur, probabilior mihi videtur

---

(§) cf. Plut. Caes. Cap. XIV.

(†) Mommsen R. G. III. pag 197.

Peteri (§) opinio: Caesarem consulem designatum hanc societatem iniisse. Ex Ciceronis testimoniis vix quicquam aliud colligi licet.

Plutarchus postquam narravit, cur Caesar cum Pompeio et Crasso se coniunxerit, de Caesaris consulatu ita pergit: *Cap. XLVII* „***ἠρέθη μὲν γὰρ ὕπατος Καῖσαρ. εὐθὺς δὲ θεραπεύων τὸν ἄποροv καὶ πένητα κατοικίας πόλεων καὶ νομὰς ἀγρῶν ἔγραφεν, ἐκβαίνων τὸ τῆς ἀρχῆς ἀξίωμα καὶ τρόπον τινὰ δημαρχίαν τὴν ὑπατείαν καθιστάς.***" More suo Plutarchus nihil adiicit de illis legibus et coloniis. Quanto melius haec nota essent si priorem anni 61 partem Cicero Romae degisset; eius epistolae claram lucem attulissent, ubi nunc in tenebris versamur. Ex iis enim, quae Cicero ad Atticum rescripsit, coniectura tantum augurari possumus, quid de rerum Romanarum conditione alter nuntiaverit. Nonnullos locos componam, ad hanc rem indagandam quodammodo pertinentes:

Ep. ad Att. II. 3. 3. (scr. Romae mense Decembri a. 60): „aut fortiter resistendum est legi agrariae, in quo est quaedam dimicatio sed plena laudis; aut quiescendum, quod est non dissimile atque ire in Solonium aut Antium; aut etiam adiuvandum, quod a me aiunt Caesarem sic exspectare, ut non dubitet."

Ep. ad Att. II. 4. 4. (scr. in Tusculano mense

(§) C. Peter. Geschichte Roms. II. pag. 227.

Martio a. 59.) „statui enim nihil iam de republica cogitare."

Ep. ad Att. II. 6. (scr. in Antiati a. 59) „esse locum tam prope Romam ubi multi sint, qui Vatinium numquam viderint? ubi nemo sit praeter me, qui quemquam ex viginti viris vivum et salvum velit?"

Ep. ad Att. II. 7. 4. (scr. in Antiati a. 59): [Iterum memorantur viginti viri, iisque verbis, ut Atticus de quadam dissensione scripsisse videatur.] „sed illud quid sit, scire cupio, quod iacis obscure, iam etiam ex viginti viris loqui quosdam, quidnam id est? si est enim aliquid, plus est boni quam putaram."

Non dubitandum est, quin tres illae epistolae V, VI et VII libri secundi scriptae sint mense Martio aut ineunte mense Aprili, eodem fere tempore, quo sequentes VIII et IX, dum Cicero in Antiati morabatur (§). Sequitur ex locis citatis, viginti viros tum iam creatos esse. Qui autem hoc fieri potuisset nisi lege agraria perlata? Quod si ita sese habet, omnino necesse est, ut hoc statuamus, aliam fuisse hanc legem agrariam, aliam illam legem de agro Campano, de qua Cicero scripsit: ad Att. II. 16. 1. (scr. in Formiano ineunte mense Maio a. 59) „Cenato mihi et iam dormitanti pridie Kal. Maias epistola est illa reddita, in qua de agro Campano scribis; ... nam ad-

(§) cf. de illo itinere Ep. ad Att. II. 9. 4.
» » » II. 10.
» » » II. 12. 2.

gratiam comitiorum consularium dilationem petisset, sequenti anno summa ope enisus est, ut Afranius consul crearetur. Pisonem in hac re adiutorem habuit; supplenda enim sunt Plutarchi verba testimonio Ciceronis: Epist. ad Att. I. 16. 12. (scr. Romae mense Maio a. 61) „nunc est exspectatio comitiorum, in quae omnibus invitis trudit Magnus noster Auli filium, atque in eo neque auctoritate neque gratia pugnat, sed quibus Philippus omnia castella expugnari posse dicebat, consul autem .... suscepisse negotium dicitur et domi divisores habere; quod ego non credo, sed senatus consulta duo iam facta sunt odiosa, quod in consulem facta putantur, Catone et Domitio postulante, unum ut apud magistratus inquiri liceret, alterum cuius domi divisores habitarent, adversus rem publicam." Aliter Plutarchus rem exponit contendens ipsum Pompeium civibus in hortos suos venientibus tributim pecuniam divisisse, ut eos Afranio conciliaret.

In Pompeii aetate indicanda (Cap. XLVI) levis Plutarchi error est. Pompeius enim, *ὅτι τὸν τρίτον θριαμβον ἀπὸ τῆς τρίτης ἠπείρου κατήγαγεν*, non *τοῖς τετταράκοντα προσῆγεν*, sed iam quadragenario maior erat. Hoc ita sese habere ipse Plutarchus alio loco testatur narrans, Pompeium quum exercitum colligeret in Piceno a. 83 viginti tres annos natum fuisse (Cap. VI).

Nunc videamus, quae ex Plutarchi sententia (Cap. XLVI) Pompeii conditio fuerit inde ex eo tempore

cunda fuisse Cicero narrat, „ut eum locum, ubi pronuntur, transire nequeamus" (§).

Cicero enim mense Iunio Romam redierat, nec mirum, quod in epistolis hoc temporis spatio ad Atticum scriptis (†) in questus de republica sese effundere non desinat. e. g. (II. 18. 2): „ac ne forte quaeras κατὰ λεπτὸν de singulis rebus, universa res eo est deducta, spes ut nulla sit aliquando non modo privatos verum etiam magistratus liberos fore." Optime intelligebat Bibuli pertinaciam vanam esse, quod etiam antea declaraverat: (II. 15. 2.) „Bibuli autem ista magnitudo animi in comitiorum dilatione quid habet nisi ipsius iudicium sine ulla correctione reipublicae?" Attamen quum videret „republica nihil esse desperatius" (*), omni spe abstinere non poterat. „Nonae illae Decembres" etiamnunc obstiterunt, quominus tempori cedens de republica nihil amplius cogitaret. Quod si facere potuisset et rebus forensibus se continere, exilium forsitan evitasset. Haec enim exilii causa fuit, quod spem infinitam persequebatur et non satis sibi persuasit, quantopere omnia mutata essent. cf. Ep. ad Att. II. 22. 3: „renovatur memoria consulatus; studia significantur, in eam spem adducimur,

---

(§) Ep. ad Att. II. 21. 4.

(†) Ep. ad Att. II. 18—25.

(*) Ep. ad Att. II. 25. 2.

ut nobis ea contentio, quae impendet, interdum non fugienda videatur." (§)

Eiusmodi cogitationes melius explicant quam omnia, quae Plutarchus hac de re memoriae tradidit, cur triumviris necessitas imposita esset expellere ex urbe eum virum, qui novo rerum ordini „Iulio et Caesare consulibus" instituto nequaquam sese accommodare videretur. Clodio secundae tantum partes tribuendae sunt (*); Pompeius autem, quamvis necessarium fuerit Ciceronis exilium, perfidiae crimen effugere non potest. Audiamus Ciceronem ipsum: (Ep. ad Att. II. 20. 2.) „Clodius mihi denuntiat periculum: Pompeius adfirmat non esse periculum: adiurat; addit etiam se prius occisum iri ab eo quam me violatum iri." (†) Summo iure Cicero postea dicere potuit (††) „eosdem esse qui Bibulum exire domo prohibuissent et qui se coe-

---

(§) cf. Ep. ad Att. II. 25 de Flacci iudicio.
Ep. ad Q. fr. I. 2. 15. sqq.

(*) Hoc ita sese habere ipse Cicero testatur: Ep. ad Fam. VII. 2 2. (scr. Romae a. 51 postquam Bursa condemnatus est) »credas mihi velim magis me iudicio hoc quam morte inimici (Clodii) laetatum,.... ille (Clodius), cum omnis respublica in meo capite discrimen esset habitura, magnum quiddam spectavit, nec sua sponte sed eorum auxilio, qui me stante stare non poterant."

(†) cf. Ep. ad Att. II. 19. 4.
» » » II. 21. 6.
» » » II. 24. 5.

(††) Ep. ad Fam. I. 9. 7.

gissent." et „Pompeium restituendi sui quam retinendi studiosiorem fuisse." (*) Ad irritum cadunt omnia promissa; Pompeii enim, postquam Caesari se adiunxit, talis conditio erat, ut omnes in republica dissidentes inimicos habere cogeretur (†).

Etiam Vettii indicium huius rei documentum est (Plut. Luc. Cap. XLII, Cic. Ep. ad Att. II. 24.), quum ideo a Caesare conflatum esset, ut ab optimatibus Pompeium prorsus abalienaret. Non „*οἱ Πομπηιανοὶ* (Plut. l. l.) sed Caesar per Vatinium illum indicem subornavit. (cf. Cic. in Vatin. 10. 24).

Idem Vatinius legem tulit de imperio Caesaris, itaque „eripuerat senatui provinciae decernendae potestatem" (Cic in Vatin. 15. 26). Pompeius deinde in senatu id egit, ut Gallia ulterior illi imperio adiungeretur (§). Plutarchus hoc tantum tradit: Cap. XLVIII „*(ἐκυρώθη) Καίσαρι τὴν ἐντὸς Ἄλπεων καὶ τὴν ἐκτὸς ἔχειν Γαλατίαν καὶ Ἰλλυριοὺς εἰς πενταετίαν καὶ τέσσαρα τάγματα τέλεια στρατιωτῶν.*"

(*) Ep. ad Att. VIII. 3. 3.
cf. » » » IX. 12. 2.

(†) Ep. ad Att. X. 4. 3: »is (Pompeius), qui nos sibi quondam ad pedes stratos ne sublevavit quidem, qui se nihil contra huius (Caesaris) voluntatem dicebat facere posse."

(§) Ep. ad Att. VIII. 3. 3. »ille (Pompeius) Galliae ulterioris adiunctor." cf. Cic. de prov. cons. 15. 36.

Cap. XLVIII — Cap. LI. Plutarchus agit de iis rebus, quae Caesaris consulatum consecutae sunt usque ad conventum Lucae.

Primum de Clodii tribunatu: Cap. XLVIII *„ἐπεὶ γὰρ (Κλώδιος δημαρχῶν) ἐξέβαλε Κικέρωνα . . . εὐθὺς ἐπεχείρει τῶν Πομπηίου διατάξεων ἐνίας ἀναιρεῖν, καὶ Τιγράνην τὸν αἰχμάλωτον ἀφαρπάσας εἶχε σὺν αὐτῷ, καὶ τοῖς φίλοις δίκας ἐπῆγε, πεῖραν ἐν ἐκείνοις τῆς Πομπηίου λαμβάνων δυνάμεως.“* Iterum ac saepius Cicero in orationibus, quas post reditum habuit, Clodii tribunatum commemorat idque iis verbis, ut perspicuum sit eum odio inductum rem verbis auxisse. Hoc nihilominus certe apparet, Clodium contumacem ministrum triumviris se praestitisse imprimis Pompeio, quem a. 58 rebus publicis omnino abstinere coegit „neque legum sed parietum praesidio vitam suam tueri (§).“ Plutarchus (l. l.) narrat Clodium tribunum pl. tribus praesertim rebus Pompeio molestum fuisse: labefactare conatus est quae Pompeius instituerat, Tigranem ab eo abduxit, eiusque amicis lites intulit.

Quod apud Plutarchum primum est id, si temporis ordinem recte servare volumus, postremo loco commemorandum est. Cic. pro Domo 15. 40: „tua denique omnis actio *posterioribus mensibus* fuit omnia, quae C. Caesar egisset, quod contra auspicia essent acta, per senatum rescindi oportere.“ *Prioribus* autem

(§) Cic. post. Red. in Sen. 2. 4.

mensibus Tigranis negotium intercessisse cernitur ex ea epistola, quam Cicero ad Atticum scripsit a. d. IV Kal. Iun. a. 58 Thessalonicae (ad Att. III. 8. 3): „Tigrane enim neglecto sublata sunt omnia." Cicero scilicet speraverat, fore ut propter illam contumeliam inter Clodium et Pompeium discidium oreretur. Quod cum non ita esset, longe haec spes eum fefellit.

Deinde Plutarchus tradit Clodium amicos Pompeii in ius traxisse, ipsumque conviciis obruisse, cum ad causam dicendam in publicum prodiret. Haec omnia ad amussim conveniunt cum iis rebus, quas de Milonis iudicio Cicero enarrat: (Ep. ad Q. fr. II. 3. 2) „a. d. VII Id. Febr. (a. 56) Milo adfuit; dixit Pompeius, sive voluit: nam ut surrexit, operae Clodianae clamorem sustulerunt, idque ei perpetua oratione contigit, non modo ut adclamatione sed ut conviciis et maledictis impediretur, qui ut peroravit .... surrexit Clodius: ei tantus clamor a nostris — placuerat enim referre gratiam — ut neque mente, neque lingua, neque ore consisteret. ea res acta est, cum hora sexta vix Pompeius perorasset, usque ad horam VIII, cum omnia maledicta, versus denique obscoenissimi in Clodium et Clodiam dicerentur. ille furens et exsanguis interrogabat suos in clamore ipso, quis esset, qui plebem fame necaret, respondebant operae: Pompeius. quis Alexandriam ire cuperet, respondebant: Pompeius. quem ire vellent, respondebant: Crassum." Unum igitur interest: apud Ciceronem

riae senatus adversabatur, suspicans Pompeio novam quandam potentiam quaeri; Pompeius vero ad voluntatem perferendae legis incubuerat; ego autem magna cum agrariorum gratia confirmabam omnium privatorum possessiones — is enim est noster exercitus hominum, ut tute scis, locupletium —; populo autem et Pompeio, nam id quoque volebam, satisfaciebam emptione, qua constituta diligenter et sentinam urbis exhauriri et Italiae solitudinem frequentari posse arbitrabar. Sed haec tota res interpellata bello refrixerat."

Huic epistolae Atticus ita respondisse videtur, ut Ciceronem admoneret, ne Pompeio se nimis adiungeret. Sequuntur enim excusationes eiusdem generis, atque illae sunt, quas supra verbo attigi: Ep. ad Att. I. 20. 2. (scr. Romae mense Maio a. 60) „Fuit ratio mihi fortasse ad tranquillitatem meorum temporum non inutilis, sed mehercule reipublicae multo etiam utilior quam mihi, civium improborum impetus in me reprimi, cum hominis amplissima fortuna, auctoritate, gratia fluctuantem sententiam confirmassem et a spe malorum ad mearum rerum laudem convertissem; quod si cum aliqua levitate mihi faciendum fuisset, nullam rem tanti existimassem, sed a me ita sunt acta omnia, non ut ego illi assentiens levior, sed ut ille me probans gravior videretur."

Eadem aliis verbis repetuntur: Ep. ad Att. II. 1. 6, sed adiicitur: „quid si etiam Caesarem, cui nunc

venti valde sunt secundi, reddo meliorem, num tantum obsum reipublicae?" Scripta est haec epistola mense Iunio a. 60; lex Flavia ad nihilum redacta erat („quod de agraria lege quaeris, sane iam videtur refrixisse"); instabant autem comitia consularia et Caesar Romae exspectabatur („Lucceius quid agat, scribam ad te, cum Caesarem videro, qui aderit biduo"). Ep. ad Att. I. 17. 11 (scr. Romae Mense Decembri a. 61) qui consulatum petituri erant enumerantur: Lucceius, Caesar et Bibulus. Ad eandem rem spectat quod Cicero scribit (l. l.), Caesari ventos valde secundos esse. Hoc igitur constat: Mense Decembri a. 61 iam nota res erat, Caesarem animum induxisse ut consulatum peteret; antequam Romam rediit, ei venti valde secundi erant, i. e. certus fere consul putabatur. Cicero autem hoc scribens nullo verbo commemorat, illum hac in re a Pompeio aut a Crasso adiutum esse. De horum trium virorum coniunctione mentionem facit sequenti epistola, (ad Att. II. 3) scripta Romae mense Decembri a. 60, idque iis verbis, ut aliquid novi fuisse videatur. Quamquam igitur Plutarchus rem sic exponit (§), quasi primus, qui dicitur, triumviratus iam exstiterit, antequam Caesar consul crearetur, et Mommsen (†) eandem sententiam sequitur, probabilior mihi videtur

---

(§) cf. Plut. Caes. Cap. XIV.

(†) Mommsen R. G. III. pag 197.

Peteri (§) opinio: Caesarem consulem designatum hanc societatem iniisse. Ex Ciceronis testimoniis vix quicquam aliud colligi licet.

Plutarchus postquam narravit, cur Caesar cum Pompeio et Crasso se coniunxerit, de Caesaris consulatu ita pergit: *Cap. XLVII* „*ἠρέθη μὲν γὰρ ὕπατος Καῖσαρ. εὐθὺς δὲ θεραπεύων τὸν ἄπορον καὶ πένητα κατοικίας πόλεων καὶ νομὰς ἀγρῶν ἔγραφεν, ἐκβαίνων τὸ τῆς ἀρχῆς ἀξίωμα καὶ τρόπον τινὰ δημαρχίαν τὴν ὑπατείαν καθιστάς.*" More suo Plutarchus nihil adiicit de illis legibus et coloniis. Quanto melius haec nota essent si priorem anni 61 partem Cicero Romae degisset; eius epistolae claram lucem attulissent, ubi nunc in tenebris versamur. Ex iis enim, quae Cicero ad Atticum rescripsit, coniectura tantum augurari possumus, quid de rerum Romanarum conditione alter nuntiaverit. Nonnullos locos componam, ad hanc rem indagandam quodammodo pertinentes:

Ep. ad Att. II. 3. 3. (scr. Romae mense Decembri a. 60): „aut fortiter resistendum est legi agrariae, in quo est quaedam dimicatio sed plena laudis; aut quiescendum, quod est non dissimile atque ire in Solonium aut Antium; aut etiam adiuvandum, quod a me aiunt Caesarem sic exspectare, ut non dubitet."

Ep. ad Att. II. 4. 4. (scr. in Tusculano mense

(§) C. Peter. Geschichte Roms. II. pag. 227.

Martio a. 59.) „statui enim nihil iam de republica cogitare."

Ep. ad Att. II. 6. (scr. in Antiati a. 59) „esse locum tam prope Romam ubi multi sint, qui Vatinium numquam viderint? ubi nemo sit praeter me, qui quemquam ex viginti viris vivum et salvum velit?"

Ep. ad Att. II. 7. 4. (scr. in Antiati a. 59): [Iterum memorantur viginti viri, iisque verbis, ut Atticus de quadam dissensione scripsisse videatur.] „sed illud quid sit, scire cupio, quod iacis obscure, iam etiam ex viginti viris loqui quosdam, quidnam id est? si est enim aliquid, plus est boni quam putaram."

Non dubitandum est, quin tres illae epistolae V, VI et VII libri secundi scriptae sint mense Martio aut ineunte mense Aprili, eodem fere tempore, quo sequentes VIII et IX, dum Cicero in Antiati morabatur (§). Sequitur ex locis citatis, viginti viros tum iam creatos esse. Qui autem hoc fieri potuisset nisi lege agraria perlata? Quod si ita sese habet, omnino necesse est, ut hoc statuamus, aliam fuisse hanc legem agrariam, aliam illam legem de agro Campano, de qua Cicero scripsit: ad Att. II. 16. 1. (scr. in Formiano ineunte mense Maio a. 59) „Cenato mihi et iam dormitanti pridie Kal. Maias epistola est illa reddita, in qua de agro Campano scribis; ... nam ad-

(§) cf. de illo itinere Ep. ad Att. II. 9. 4.
» » » II. 10.
» » » II. 12. 2.

huc (Pompeius) haec *ἐσοφίζετο*, se leges Caesaris probare, actiones ipsum praestare debere; agrariam legem sibi placuisse, potueritne intercedi necne, nihil ad se pertinere, ... nunc vero, Sampsicerame, quid dices? vectigal te nobis in monte Antilibano constituisse agri Campani abstulisse? hoc quemadmodum obtinebis? oppressos vos, inquit, tenebo exercitu Caesaris." Idem sonant quae sequentis epistolae initio leguntur: „Prorsus ut scribis ita sentio: turbat Sampsiceramus, nihil est quod non timendum sit: *ὁμολογουμένως τυραννίδα συσκευάζεται*, quid enim ista repentina affinitatis coniunctio (§), quid ager Campanus, quid effusio pecuniae significat?" Suadent igitur hi loci, ut Plutarchum recte vidisse putemus tradentem (Cato Min. Cap. XXXIII), lege agraria perlata Caesarem aliam legem promulgasse, qua ager Campanus pauperibus distribueretur (*). Ineunte mense Maio de illa re agi coeptum est; Bibulus tum non amplius in publicum prodiit: (Cap. XLVIII) „*Πραττομένων δὲ τούτων Βύβλος μὲν εἰς τὴν οἰκίαν κατακλεισάμενος ὀκτὼ μηνῶν οὐ προῆλθεν ὑπατεύων ἀλλ' ἐξέπεμπε διαγράμματα βλασφημίας ἀμφοῖν* (Caesaris et Pompeii) *ἔχοντα καὶ κατηγορίας*." Haec sunt „Archilochia" illa edicta, quae populo ita iu-

---

(§) cf. Plut. Pomp. Cap. XLVIII.

(*) Diversa sententia exponitur:
Drumann. G. R. III. 197.
Mommsen. R. G. III. 199.

cunda fuisse Cicero narrat, „ut eum locum, ubi proponuntur, transire nequeamus" (§).

Cicero enim mense Iunio Romam redierat, nec mirum, quod in epistolis hoc temporis spatio ad Atticum scriptis (†) in questus de republica sese effundere non desinat. e. g. (II. 18. 2): „ac ne forte quaeras κατὰ λεπτὸν de singulis rebus, universa res eo est deducta, spes ut nulla sit aliquando non modo privatos verum etiam magistratus liberos fore." Optime intelligebat Bibuli pertinaciam vanam esse, quod etiam antea declaraverat: (II. 15. 2.) „Bibuli autem ista magnitudo animi in comitiorum dilatione quid habet nisi ipsius iudicium sine ulla correctione reipublicae?" Attamen quum videret „republica nihil esse desperatius" (*), omni spe abstinere non poterat. „Nonae illae Decembres" etiamnunc obstiterunt, quominus tempori cedens de republica nihil amplius cogitaret. Quod si facere potuisset et rebus forensibus se continere, exilium forsitan evitasset. Haec enim exilii causa fuit, quod spem infinitam persequebatur et non satis sibi persuasit, quantopere omnia mutata essent. cf. Ep. ad Att. II. 22. 3: „renovatur memoria consulatus; studia significantur, in eam spem adducimur,

---

(§) Ep. ad Att. II. 21. 4.

(†) Ep. ad Att. II. 18—25.

(*) Ep. ad Att. II. 25. 2.

ut nobis ea contentio, quae impendet, interdum non fugienda videatur." (§)

Eiusmodi cogitationes melius explicant quam omnia, quae Plutarchus hac de re memoriae tradidit, cur triumviris necessitas imposita esset expellere ex urbe eum virum, qui novo rerum ordini „Iulio et Caesare consulibus" instituto nequaquam sese accommodare videretur. Clodio secundae tantum partes tribuendae sunt (*); Pompeius autem, quamvis necessarium fuerit Ciceronis exilium, perfidiae crimen effugere non potest. Audiamus Ciceronem ipsum: (Ep. ad Att. II. 20. 2.) „Clodius mihi denuntiat periculum: Pompeius adfirmat non esse periculum: adiurat; addit etiam se prius occisum iri ab eo quam me violatum iri." (†) Summo iure Cicero postea dicere potuit (††) „eosdem esse qui Bibulum exire domo prohibuissent et qui se coe-

---

(§) cf. Ep. ad Att. II. 25 de Flacci iudicio.
Ep. ad Q. fr. I. 2. 15. sqq.

(*) Hoc ita sese habere ipse Cicero testatur: Ep. ad Fam. VII. 2 2. (scr. Romae a. 51 postquam Bursa condemnatus est) »credas mihi velim magis me iudicio hoc quam morte inimici (Clodii) laetatum,.... ille (Clodius), cum omnis respublica in meo capite discrimen esset habitura, magnum quiddam spectavit, nec sua sponte sed eorum auxilio, qui me stante stare non poterant."

(†) cf. Ep. ad Att. II. 19. 4.
» » » II. 21. 6.
» » » II. 24. 5.

(††) Ep. ad Fam. I. 9. 7.

gissent." et „Pompeium restituendi sui quam retinendi studiosiorem fuisse." (*) Ad irritum cadunt omnia promissa; Pompeii enim, postquam Caesari se adiunxit, talis conditio erat, ut omnes in republica dissidentes inimicos habere cogeretur (†).

Etiam Vettii indicium huius rei documentum est (Plut. Luc. Cap. XLII, Cic. Ep. ad Att. II. 24.), quum ideo a Caesare conflatum esset, ut ab optimatibus Pompeium prorsus abalienaret. Non „*οἱ Πομπηιανοὶ* (Plut. l. l.) sed Caesar per Vatinium illum indicem subornavit. (cf. Cic. in Vatin. 10. 24).

Idem Vatinius legem tulit de imperio Caesaris, itaque „eripuerat senatui provinciae decernendae potestatem" (Cic in Vatin. 15. 26). Pompeius deinde in senatu id egit, ut Gallia ulterior illi imperio adiungeretur (§). Plutarchus hoc tantum tradit: Cap. XLVIII „*(ἐκυρώθη) Καίσαρι τὴν ἐντὸς Ἄλπεων καὶ τὴν ἐκτὸς ἔχειν Γαλατίαν καὶ Ἰλλυριοὺς εἰς πενταετίαν καὶ τέσσαρα τάγματα τέλεια στρατιωτῶν.*"

(*) Ep. ad Att. VIII. 3. 3.
cf. » » » IX. 12. 2.

(†) Ep. ad Att. X. 4. 3: »is (Pompeius), qui nos sibi quondam ad pedes stratos ne sublevavit quidem, qui se nihil contra huius (Caesaris) voluntatem dicebat facere posse."

(§) Ep. ad Att. VIII. 3. 3. »ille (Pompeius) Galliae ulterioris adiunctor." cf. Cic. de prov. cons. 15. 36.

Cap. XLVIII — Cap. LI. Plutarchus agit de iis rebus, quae Caesaris consulatum consecutae sunt usque ad conventum Lucae.

Primum de Clodii tribunatu: Cap. XLVIII *„ἐπεὶ γὰρ (Κλώδιος δημαρχῶν) ἐξέβαλε Κικέρωνα . . . εὐθὺς ἐπεχείρει τῶν Πομπηίου διατάξεων ἐνίας ἀναιρεῖν, καὶ Τιγράνην τὸν αἰχμάλωτον ἁφαρπάσας εἶχε σὺν αὐτῷ, καὶ τοῖς φίλοις δίκας ἐπῆγε, πεῖραν ἐν ἐκείνοις τῆς Πομπηίου λαμβάνων δυνάμεως.“* Iterum ac saepius Cicero in orationibus, quas post reditum habuit, Clodii tribunatum commemorat idque iis verbis, ut perspicuum sit eum odio inductum rem verbis auxisse. Hoc nihilominus certe apparet, Clodium contumacem ministrum triumviris se praestitisse imprimis Pompeio, quem a. 58 rebus publicis omnino abstinere coegit „neque legum sed parietum praesidio vitam suam tueri (§).“ Plutarchus (l. l.) narrat Clodium tribunum pl. tribus praesertim rebus Pompeio molestum fuisse: labefactare conatus est quae Pompeius instituerat, Tigranem ab eo abduxit, eiusque amicis lites intulit.

Quod apud Plutarchum primum est id, si temporis ordinem recte servare volumus, postremo loco commemorandum est. Cic. pro Domo 15. 40: „tua denique omnis actio *posterioribus mensibus* fuit omnia, quae C. Caesar egisset, quod contra auspicia essent acta, per senatum rescindi oportere.“ *Prioribus* autem

(§) Cic. post. Red. in Sen. 2. 4.

mensibus Tigranis negotium intercessisse cernitur ex ea epistola, quam Cicero ad Atticum scripsit a. d. IV Kal. Iun. a. 58 Thessalonicae (ad Att. III. 8. 3): „Tigrane enim neglecto sublata sunt omnia." Cicero scilicet speraverat, fore ut propter illam contumeliam inter Clodium et Pompeium discidium oreretur. Quod cum non ita esset, longe haec spes eum fefellit.

Deinde Plutarchus tradit Clodium amicos Pompeii in ius traxisse, ipsumque conviciis obruisse, cum ad causam dicendam in publicum prodiret. Haec omnia ad amussim conveniunt cum iis rebus, quas de Milonis iudicio Cicero enarrat: (Ep. ad Q. fr. II. 3. 2) „a. d. VII Id. Febr. (a. 56) Milo adfuit; dixit Pompeius, sive voluit: nam ut surrexit, operae Clodianae clamorem sustulerunt, idque ei perpetua oratione contigit, non modo ut adclamatione sed ut conviciis et maledictis impediretur, qui ut peroravit .... surrexit Clodius: ei tantus clamor a nostris — placuerat enim referre gratiam — ut neque mente, neque lingua, neque ore consisteret. ea res acta est, cum hora sexta vix Pompeius perorasset, usque ad horam VIII, cum omnia maledicta, versus denique obscoenissimi in Clodium et Clodiam dicerentur. ille furens et exsanguis interrogabat suos in clamore ipso, quis esset, qui plebem fame necaret, respondebant operae: Pompeius. quis Alexandriam ire cuperet, respondebant: Pompeius. quem ire vellent, respondebant: Crassum." Unum igitur interest: apud Ciceronem

illae Clodii quaestiones pertinent ad rem publicam, quum apud Plutarchum privata vita Pompeii probris laceretur. Attamen vix dubitandum est, quin et Plutarchus et Cicero eandem rem ante oculos habuerint: Milonis iudicium Clodio occasionem praebuit, ut Pompeium tanta ignominia afficeret, Plutarchus autem erravit, quum hoc ad Clodii tribunatum referret (§).

Praeter illas contumelias Clodius etiam eo progressus est, ut vitae Pompeii insidiaretur. „Tum est illa in templo Castoris scelerata ac paene deletrix huius imperii sica deprehensa" (†); quo factum est, ut Pompeius domi se contineret et in Ciceronis desiderium adductus operam daret, ut hic ab exilio revocaretur.

Plutarchus solus auctor est (Cap. XLIX), Culleonem Pompeio suasisse, ut Iulia dimissa totum senatui se adiungeret. Fuerit idem Culleo, cuius nomen apud Ciceronem occurrit (Ep. ad Att. III. 15. 5); eiusdemmodi enim huius sententia est: Ciceronem senatus auctoritate redire posse, quum nulla lege sed privilegio abesset. (*)

(§) Drum. II. 324.

(†) Cic. de Harusp. resp. 23. 49.

cf. » pro Sestio 32. 69.

» pro Milone 7. 18.

» in Pisonem 12. 28.

» pro Domo 25. 67.

(*) cf. Cic. pro Sestio 34. 73.

Tum Plutarchus ita pergit: „(*Πομπήιος*) *προαγαγὼν τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ* (*Κικέρωνος*) *δεόμενον σὺν χειρὶ πολλῇ, τραυμάτων ἐν ἀγορᾷ γενομένων καί τινων ἀναιρεθέντων, ἐκράτησε τοῦ Κλωδίου.*" Quemadmodum fuerint illa *τραύματα ἐν ἀγορᾷ γενόμενα*, copiosius narratur: Plut. Cic. Cap. XXXIII. cf. Cic. pro Sestio 35. 77: „meministis tum, iudices, corporibus civium Tiberim compleri, cloacas refarciri, e foro spongiis effingi sanguinem." Facta est ea caedes, cum Fabricius de reditu Ciceronis legem ferret, quae lex autem non perlata est (§). „Victa enim est causa rei publicae et victa non auspiciis, non intercessione, non suffragiis, sed vi, manu, ferro. (†)" Longe igitur abfuit, quin illo die Clodius superaretur, neque Pompeio eae partes in Cicerone revocando tribuendae sunt, quas Plutarchus ei imposuit. Nam quae de Ciceronis salute egit, acta sunt voluntate Caesaris. Si ea tantum attendimus, quae Cicero post reditum in senatu grandibus verbis praedicat, (*) Pompeius auctor eius salutis videri possit; at ipse Cicero in epistolis melior testis est; ibi apparet, Pompeium tum demum causam Ciceronis suscepisse, cum litterae a Caesare sibi remissae essent et Q. Cicero de fratre recepisset, eum nihil contra acta Caesaris conaturum (Ep. ad. Att. III. 18.1).

Postridie postquam Romam rediit, Cicero de cura

(§) Cic. pro Milone 14. 38.

(†) Cic. pro Sestio 36. 78.

(*) Cic. post Red. in sen. 11. 29.

annonae in senatu verba fecit, cf. Ep. ad Att. IV. 1. 6.: „factum est senatus consultum in meam sententiam, ut cum Pompeio ageretur, ut eam rem susciperet lexque ferretur;... postridie senatus frequens; et omnes consulares nihil Pompeio postulanti negarunt; ille legatos XV cum postularet, me principem nominavit et ad omnia me alterum se fore dixit. legem conscripserunt, qua Pompeio per quinquennium omnis potestas rei frumentariae toto orbe terrarum daretur..." De hac lege Cornelia et Caecilia diversos rumores Romae sparsos fuisse, Plutarchus narrat; Clodius enim criminabatur legem non latam esse propter annonae caritatem sed ipsam caritatem exstitisse, ut lex ferretur; alii consulis Spintheris commentum fuisse dicebant, Pompeio maius imperium deferentis, ut ipse Ptolemaeo regi opitulatum mitteretur. Clodii criminationem iam attigimus; aliorum sententia satis redarguitur ex loco supra laudato: Cicero primus Pompeium nominavit, cum hic „sermone non solum plebis verum etiam bonorum vocaretur, idque ipse cuperet." Praeterea illa cura annonae Pompeio delata Spintheri commodo non fuit; contraria sunt quae Cicero ad ipsum Spintherem scripsit: Ep. ad Fam. I. 1. 3.: „cui (Pompeio) qui nolunt, idem tibi, quod eum ornasti, non sunt amici."

Ex eadem epistola cernitur , quae diversae in senatu sententiae fuerint de Ptolemaeo rege in Aegyptum reducendo. Pompeius ipse rem dissimulans per fami-

liares Afranium et Volcatium id egit, ut sibi haec provincia mandaretur (§). Caninius (sic enim pro „*Κανίδιος*" apud Plutarchum legendum est) etiam a Cicerone nominatur: Ep. ad Q. fr. II. 2. 3. „Quid futurum sit latrocinio tribunorum non divino; sed tamen suspicor per vim Caninium rogationem perlaturum." Plutarchus docet, qualis fuerit illa rogatio: *„ἄνευ στρατιᾶς Πομπήιον ἔχοντα ῥαβδούχους δυο διαλλάττειν Ἀλεξανδρεῦσι τὸν βασιλέα."* (†) Cicero ad Spintherem scribens: „Pompeius mihi semper tuae laudi favere visus est etiam suspitiosissimo tempore Caniniano", hoc tantum indicat rogationem Pompeio conduxisse. Tota res ad nihilum redacta est: Ep. ad Q. fr. II. 4. 5. „quod de Pompeio Caninius egit, sanequam refrixit, neque enim res probatur et Pompeius noster in amicitia P. Lentuli vituperatur et hercule non est idem; nam apud perditissimam illam ac infimam faecem populi propter Milonem suboffendit, et boni multa ab eo desiderant, multa reprehendunt."

Cap. LI. Caesar cum longe abesse videretur bellum gerens cum Belgis et Suevis et Britannis, res Romanas minime negligebat. Dum invictum exercitum illis certaminibus sibi parat, magnam vim auri et argenti

---

(†) cf. Ep. ad Q. fr. II. 2.

(§) cf. Ep. ad. Fam. I. 7. 4.: »ut sine multitudine reducatur (Ptolemaeus, homines religiosi Sibyllae placere dixerunt."

aliaque spolia Romam mittit et largiendo multos sibi conciliat. Quo factum est, ut eum Alpes transgressum et Lucae hiemantem praeter reliquam multitudinem hominum etiam CC senatores convenerint, inter quos Crassus erat et Pompeius, neque minus CXX fasces ad Caesaris fores conspicerentur. Ceteros omnes spe opibusque erexit, cum Crasso autem et Pompeio pactionem fecit, ut hi consulatum peterent. Caesaris auxilio consules creati sibi provincias et exercitus decernenda, ei imperium in quinquennium prorogandum curarent.

Haec fere sunt quae de illo conventu Plutarchus tradit. Siletur quae *causa* fuerit cur primus, qui dicitur, triumviratus tum renovatus sit. Hoc loco duae praesertim res maximi sunt momenti: quae Pompeii conditio fuerit a. 57 et initio anni 56; quid optimates de actis Caesaris sibi propositum habuerint. Ad alteram rem spectant verba Ciceronis supra laudata (Ep. ad Q. fr. II. 4. 5.), quae ex alia ad eundem epistola eodem fere tempore conscripta confirmantur: Ep. ad Q. fr. II. 3. 4. (scr. Romae mense Febr. a. 56) „nam Pompeius haec intelligit, nobiscumque communicat.... vehementer esse providendum ne opprimatur contionario illo populo, a se prope alienato, nobilitate inimica, non aequo senatu, iuventute improba." Lucam igitur se contulit, ne opprimeretur; eo enim redactus erat, ut Caesaris tantum auxilio in pristinam dignitatem restitui posset.

Ad intelligendum, quid Caesarem impulerit ut hanc opem ferret, omnino observanda videntur quae in senatu de agro Campano acta sunt. Quin haec et Caesari et Pompeio molesta fuerint et multum valuerint ad triumviros in concordiae vinculum redigendos, vix dubitandum est. Cur Pompeius, nisi hoc ita sese haberet, paulo post conventum illum tam diligenter cum Q. Cicerone de M. fratre egisset (§), ne hic Caesaris dignitatem oppugnaret? Cicero enim in hac re magna molitus erat, quippe cui senatus esset assensus Nonis April. a. 56 (†), ut de agro Campano frequenti senatu Idibus Maiis referretur. At mox omnia mutantur: Ep. ad Q. fr. II. 6. 2. (scr. Romae mense Maio a. 56 „ante quod Idibus et postridie fuerat dictum de agro Campano actum iri, non est actum; in hac causa mihi aqua haeret." Immo etiam Cicero idem brevi post princeps et auctor fuit, ut Caesari stipendium et X legati decernerentur et ne lege Sempronia succederetur (*). Ipse sibi in oratione pro Balbo persuadere conatur „inconstantis non esse, sententiam tamquam aliquod navigium atque cursum ex rei publicae tempestate moderari", at quantopere hanc

---

(§) Ep. ad Fam. I. 9. 9.

(†) Ep. ad Fam. I. 9. 8.
cf. Ep. ad Q. fr. II. 5. 1.
» » » » II. 1. 1.

(*) Cic. pro Balbo 27. 61.
» de prov. cons. 11. 28.

conversam fortunam aegre tulerit, cernitur ex epistola ad Lentulum scr. Romae mense Ian. a. 55: (ad Fam. I. 8. 2) „sed te non praeterit, quam sit difficile sensum in republica, praesertim rectum et confirmatum, deponere..... dignitas in sententiis dicendis, libertas in republica capessenda, ea sublata tota sunt, nec mihi magis quam omnibus; nam aut adsentiendum est nulla cum gravitate paucis, aut frustra dissentiendum;.... commutata tota ratio est senatus, iudiciorum, rei totius publicae."

Eodem hoc capite Plutarchus enarrat, qua in re Marcellinus Pompeium „nimis aspere" tractaverit (Ep. ad Q. fr. II. 4. 5).

Cap. LII. Pompeius et Crassus iterum consules creantur, postquam Domitius repulsam tulit. Si Catonis Vitam comparamus, levis Plutarchi error apparet in his verbis: „*οἱ δὲ περὶ τὸν Πομπήιον φοβηθέντες τὸν τόνον τοῦ Κάτωνος,..... οὐκ εἴασαν εἰς ἀγορὰν κατελθεῖν τὸν Δομέτιον.*" Melius: Cato Min. Cap. XLI. „*τοῦτο δὴ δείσαντες οἱ περὶ Πομπήιον ὑφεῖσαν ἐνέδραν τῷ Δομετίῳ καταβαίνοντι τὸ ὄρθριον ὑπὸ λαμπάδων εἰς τὸ πεδίον.*" Domitii repulsam et suum ipsius exilium Cicero inter se confert: Ep. ad Att. IV. 8. b. 2; „de Domitio,

σύκῳ, μὰ τὴν Δήμητρα, σῦκον οὐδὲ ἓν
οὕτως ὅμοιον γέγονεν,

quam est ista *περίστασις* nostrae, vel quod ab isdem, vel quod praeter opinionem, vel quod viri boni nus-

quam: unum dissimile, quod huic merito; nam de ipso casu nescio an illud melius. quid enim hoc miserius quam eum, qui tot annos, quot habet, designatus consul fuerit, fieri consulem non posse?"

Praeturae competitores Cato et Vatinius fuerunt. Actum est in senatu de ea re: Ep. ad Q. fr. II. 7. 3. „a. d. III. Id. Febr. senatus consultum est factum de ambitu in Afranii sententiam, quam ego dixeram, cum tu adesses; sed magno cum gemitu senatus consules non sunt persecuti eorum sententias, qui Afranio cum essent assensi, addiderunt, ut praetores ita crearentur, ut dies LX privati essent. eo die Catonem plane repudiarunt. quid multa? tenent omnia, idque ita omnes intelligere volunt." Cicero ipse testatur se Vatinii petitionem oppugnavisse, neque tam illius laedendi causa, quam defendendi atque ornandi Catonis (§).

Lege Trebonia provinciae Syria et Hispania decernebantur consulibus, qui inter sese convenirent, uter hanc, uter illam acciperet; hoc enim lex incertum reliquerat, neque sortitio facta est (†). Eo pertinet,

---

(§) Ep. ad Fam. I. 9. 19. Drumann (VI. 1) his verbis fidem denegat: Cicero enim propter dissensionem de Clodii legibus cum Catone simultates exercebat et, ne Vatinium oppugnaret. metu Caesaris absterrebatur. At oratio in Pisonem documento est Ciceronem interdum rupisse obsequium, quod Caesari deberet.

(†) Plut. Crass. Cap. XV. *Κληρουμένων δὲ Συρίαν ἔλαχε Κράσσος, τὰ δ' Ἰβηρικὰ Πομπήιος.* Cf. Drum. III. 282.

quod Cicero ad Atticum scripsit Neapoli a. d. IV Kal. Maias a. 55 (IV. 9. 1): „Nos hic cum Pompeio fuimus: multa mecum de re publica, sane sibi displicens, ut loquebatur — sic est enim in hoc homine dicendum — Syriam spernens, Hispaniam iactans: hic quoque ut loquebatur; et, opinor, usquequaque, de hoc cum dicemus, sit hoc quasi *καὶ τόδε Φωκυλίδου.*"

Quatuor legionum, quas eadem lex Pompeio decrevit, hic non duas sed unam Caesari mutuam dedit (§). Plutarchi error inde ortus est, quod Pompeius postea praeter illam legionem etiam alteram a Caesare abstulit Parthicum bellum praetendens (†).

Ultima huius capitis verba sunt: „*Ἀλλὰ Κράσσος μὲν ἐξῆλθεν εἰς τὴν ἐπαρχίαν ἀπαλλαγεὶς τῆς ὑπατείας, Πομπήιος δὲ τὸ θέατρον ἀναδείξας ἀγῶνας ἦγε γυμνικοὺς καὶ μουσικοὺς ἐπὶ τῇ καθιερώσει καὶ θηρῶν ἀμίλλας, ἐν οἷς πεντακόσιοι λέοντες ἀνῃρέθησαν, ἐπὶ πᾶσι δὲ τὴν ἐλεφαντομαχίαν, ἐκπληκτικώτατον θέαμα, παρέσχεν.*" Ex his sequitur Pompeium theatrum dedicavisse, postquam Crassus in provinciam abierit. Crassus profectus est mense Novembri, cf. Ep. ad Att. IV. 13. 2. (scr. in Tusculano mense Novembri a. 55): „Crassum quidem nostrum minore dignitate aiunt profectum paludatum, quam olim aequalem eius L. Paulum, item iterum consulem." Hoc igitur statuendum sit

(§) Ep. ad Fam. VIII. 4. 4 mentio facta est de ea legione quam C. Caesari Pompeius expensam tulit.

(†) Caes. de Bello Gall. VIII. 54

theatrum anno exeunte dedicatum esse, quod per se verisimile non videtur. Praeterea epistola, unde haec verba deprompta sunt, scripta est in Tusculano, quo Cicero brevi ante se contulerat. Crassus enim paene ab eius Laribus in provinciam est profectus, nam cum ei condixisset, cenavit apud eum in Crassipedis hortis (§). Cicero autem, quum theatrum dedicaretur, Romae erat; exstat enim de hac re lepidissima epistola ad Marium (Ep. ad Fam. VII. 1). Quo mense haec epistola scripta sit, ignoratur; attamen quum Cicero molestissimas suas occupationes commemoret, otiique cupidissimus esse videatur, apparet eum tum aliquamdiu Romae degisse. Non ita scripsisset, si theatri dedicatio mense Decembri facta esset et ipse paucis diebus ante e Tusculano rediisset.

Iisdem litteris Cicero pro humanitate sua minime se illis ludis delectatum esse declarat: „ludi apparatissimi sed non tui stomachi, coniecturam enim facio de meo... popularem admirationem habuerunt, delectationem tibi nullam attulissent." Etiam elephanti commemorantur: „extremus elephantorum dies fuit, in quo admiratio magna volgi atque turbae, delectatio nulla exstitit: quin etiam misericordia quaedam consecuta est atque opinio eiusmodi, esse quandam illi beluae cum genere humano societatem."

(§) Ep. ad Fam. I. 9. 20.

Cap. LIII narratur privata fortuna Pompeii: qualis in eum Iuliae amor fuerit, quantique ad bellum accelerandum interfuerit eam tam praematura morte raptam esse. De his rebus Cicero tacet; uno tantum loco Iuliae mortem verbo attingit in quadam epistola ad Q. fratrem, qui tum in Gallia Caesaris legatus erat: (Ep. ad Q. fr. III. 8. 3. scr. Romae exeunte mense Novembri a. 54.) „de virtute et gravitate Caesaris, quam in summo dolore adhibuisset, magnam ex epistola tua cepi voluptatem."

Plura conferri possunt ad sequens caput, ubi exponitur, quomodo res tandem eo deducta sit, ut Pompeius consul sine collega crearetur: (*Cap. LIV*) „***ἐπεὶ δὲ τὰς ἀρχὰς οὐ κατὰ γνώμην ἑώρα βραβευομένας, δεκαζομένων τῶν πολιτῶν, ἀναρχίαν ἐν τῇ πόλει περιεῖδε γενομένην. καὶ λόγος εὐθὺς ἐχώρει πολὺς ὑπὲρ δικτάτορος, ὃν πρῶτος εἰς μέσον ἐξενεγκεῖν ἐτόλμησε Λουκίλλιος ὁ δήμαρχος τῷ δήμῳ παραινῶν ἑλέσθαι δικτάτορα Πομπήιον.***" Infinitae licentiae, qua tum Romae omnes res perturbarentur, Cicero testis est in illis epistolis, quas a. 54 conscriptas reliquas habemus. e. g. Ep. ad Q. fr. II. 13, 5 (scr. Romae mense Iunio): „Res Romanae sic se habebant: erat nonnulla spes comitiorum sed incerta, erat aliqua suspitio dictaturae, ne ea quidem certa, summum otium forense sed senescentis magis civitatis quam acquiescentis, sententia autem nostra in senatu eiusmodi, magis ut alii nobis assentiantur quam nosmet ipsi." Ambitu illo etiam tempore

inaudito consulatum petebant (§) Domitius, Messalla Scaurus et Memmius. cf. Ep. ad Att. IV. 15. 7. (scr. Romae a. d. IV Kal. Sext.): „Memmium Caesaris omnes opes confirmant; cum eo Domitium consules iunxerunt, qua pactione epistolae committere non audeo. Pompeius fremit, queritur, Scauro studet, sed utrum fronte an mente dubitatur. ἐξοχὴ in nullo est; pecunia omnium dignitatem exaequat. Messalla languet, non quo aut animus desit aut amici, sed coitio consulum et Pompeius obsunt. ea comitia puto fore ut ducantur. tribunicii candidati iurarunt se arbitrio Catonis petituros: apud eum H.S. quingena deposuerunt, ut qui a Catone damnatus esset, id perderet et competitoribus tribueretur." Idem de Catone Plutarchus narrat: (Cato Min. Cap. XLIV) *„ἔδοξεν οὖν αὐτοῖς εἰς ταὐτὸ συνελθοῦσι παραβαλέσθαι δραχμῶν ἕκαστον ἀργυρίου δεκαδύο ἥμισυ μυριάδας, εἶτα μετιέναι τὴν ἀρχὴν πάντας ὀρθῶς καὶ δικαίως· τὸν δὲ παραβάντα καὶ χρησάμενον δεκασμῷ στέρεσθαι τοῦ ἀργυρίου. Ταῦτα ὁμολογήσαντες αἱροῦνται φύλακα καὶ βραβευτὴν καὶ μάρτυρα τὸν Κάτωνα καὶ χρήματα φέροντες ἐκείνῳ παρετίθεντο καὶ τὰς συνθήκας ἐγράψαντο πρὸς ἐκεῖνον ἀντὶ τῶν χρημάτων ἐγγυητὰς λαβόντα, τὰ δὲ χρήματα μὴ δεξάμενον.*"

Paucis mensibus post res fluxerat ad interregnum et multus erat sermo de dictatura: Ep. ad Q. fr. III.

(§) Ep. ad Q. fr. II. 14. 4.

8. 4. „res prolatae; ad interregnum comitia adducta. rumor dictatoris iniucundus bonis, mihi etiam magis quae loquuntur, sed tota res et timetur et refrigescit. Pompeius plane se negat velle; antea mihi ipse non negabat. (§) Hirrus auctor fore videtur: o di, quam ineptus! quam se ipse amans sine rivali!" C. Lucceius Hirrus a. 53 tribunus pl. erat cum M. Coelio Viniciano, uterque a. 51 aedilitatem petivit cum M. Coelio; hic enim competitorum mentionem fecit in epistola Kal. Sext. a 51 ad Ciceronem scripta (Ep. ad Fam. VIII. 4. 3): „mea porro comitia quem eventum sint habitura, nescio: opinionem quidem, quod ad Hirrum attinet, incredibilem aedilium pl. comitiis nacta sunt. nam M. Coelium Vinicianum mentio illa fatua, quam deriseramus olim, et promulgatio de dictatore subito deiecit." Quum igitur et Hirrus et M. Coelius Vinicianus dictaturae suasores fuerint, alterutrius nomen apud Plutarchum in *Λουκίλλιος* depravatum esse arbitror. Legendum videtur aut *Λουκκήιος* aut *Κοίλιος*. (†).

Anno 53 consules fuerunt Domitius et Messalla: *ὕστερον δὲ πάλιν ἀναρχίας γενομένης* factum est sena-

(§) Plut. Caes. Cap. XXVIII: »*Πομπήιος λόγῳ παραιτεῖσθαι καλλωπιζόμενος, ἔργῳ παντὸς μᾶλλον ἐπέραινεν ἐξ ὧν ἀναδειχθήσοιτο δικτάτωρ.*" Haec dissimulatio Pompeii naturae consentaneum erat, solebat enim aliud sentire et loqui neque tantum valere ingenio, ut non appareret, quid sentiret. (Ep. ad Fam. VIII. 1. 3.)

(†) cf. Drum. III. 316.

tus consultum in Bibuli sententiam, ut Pompeius consul sine collega crearetur. Qualis fuerit illa *ἀναρχία*, copiosius narratur: Cato Min. Cap. XLVII *„Σκηπίωνος καὶ Ὑψαίου καὶ Μίλωνος ὑπατείαν μετερχομένων, οὐ μόνον ἐκείνοις τοῖς συντρόφοις ἤδη καὶ συμπολιτευομένοις ἀδικήμασι, δωροδοκίαις καὶ δεκασμοῖς, ἀλλ' ἄντικρυς δι' ὅπλων καὶ φόνων εἰς ἐμφύλιον πόλεμον ὠθουμένων τόλμῃ καὶ ἀπονοίᾳ...“* Simul ex his apparet Hypsaeum consulem factum non esse; falso igitur a Plutarcho (Pomp. Cap. LV) *ἀνὴρ ὑπατικὸς* vocatur.

Casu quodam accidit ut perpaucae Ciceronis epistolae supersint a. 53 et a. 52 conscriptae; itaque ad *Cap. LV* nihil aliud annotandum est, nisi quod etiam a Cicerone Bursae iudices laudantur: Ep. ad Fam. VII. 2. 3. „numquam ulli fortiores cives fuerunt quam qui ausi sunt eum (Bursam) contra tantas opes eius, a quo ipsi lecti iudices erant, condemnare.“

‚Obscuriora sunt quae *Cap. LVI* traduntur; Plutarchus enim praeteriit legem Pompeiam de iure magistratuum, itaque confudit, quae tempore diversa sunt. Cf. Suet. Div. Iul. Cap. XXVIII: „acciderat autem, ut is (Pompeius) legem de iure magistratuum ferens eo capite, quo petitione honorum absentes submovebat, ne Caesarem quidem exciperet per oblivionem: ac mox, lege iam in aes incisa et in aerarium condita, corrigeret errorem.“ Partim ad hanc legem, partim ad ea quae biennio post acta sunt, pertinere videtur quod de Caesaris epistola narratur:

„ὁ Πομπήιος ἔφη γράμματα Καίσαρος ἔχειν βουλομένου λαβεῖν διάδοχον καὶ παύσασθαι τῆς στρατείας· ὑπατείας μέντοι καὶ μὴ παρόντι καλῶς ἔχειν αἴτησιν αὐτῷ δοθῆναι.“

His postulatis Pompeius concessit additamento illo ad legem suam, quod Suetonius commemorat. Copiosius hac de re Cic. Ep. ad Att. VIII. 3. 3.: „idem (Pompeius) in tertio consulatu ... contendit, ut X tribuni ferrent, ut absentis ratio haberetur, quod idem sanxit lege quadam sua.“ Aliquot annis post Cicero affirmat, se Pompeio dissuassise, ut absentis rationem haberet: Philipp. II. 10. 24. „duo tamen tempora inciderunt, quibus aliquid contra Caesarem Pompeio suaserim; unum ne quinquennii imperium Caesari prorogaret, alterum ne pateretur ferri ut absentis ratio haberetur.“ Aliquam veritatis speciem haec haberent, ni Cicero ipse contraria tradidisset: Ep. ad Att. VII. 1. 4. „nam ut illi (Caesari) hoc (consulatum petere exercitu non dimisso) liceret adiuvi, rogatus ab ipso Ravennae de Caelio tribuno pl. ab ipso autem? etiam a Cnaeo nostro in illo divino tertio consulatu.“ Item: Ep. ad Fam. VI. 6. 5. „rationem haberi absentis non tam pugnavi, ut liceret, quam ut, quoniam ipso consule pugnante populus iusserat, haberetur.“ Hoc privilegium in Caesaris gratiam legi Pompeiae de iure magistratuum adiectum magni momenti fuit; nam eo continebatur, Caesarem tempore legitimo elapso, imperium retinere posse usque ad secundum consulatum. Cf. Ep. ad Att. VII. 7. 6.:

„Quid ergo? exercitum retinentis, cum legis dies transierit, rationem haberi placet? mihi vero ne absentis quidem, sed cum id datum est, illud una datum est."

Post ea verba, quae supra commemoravi, Plutarchus ita pergit: *„πρὸς ταῦτα ἐνισταμένων τῶν περὶ Κάτωνα καὶ κελευόντων ἰδιώτην γενόμενον καὶ τὰ ὅπλα καταθέμενον εὐρίσκεσθαί τι παρὰ τῶν πολιτῶν ἀγαθὸν, οὐκ ἐξερίσας, ἀλλ' οἷον ἠττηθεὶς ὁ Πομπήιος ὕποπτος ἦν μᾶλλον ὧν ἐφρόνει περὶ Καίσαρος."* Haec sine dubio referenda sunt non ad Pompeii tertium consulatum sed ad ea, quae a. 50 de provinciis consularibus in senatu acta sunt.

Cap. LVII. Magis magisque perspicuum fiebat tempus instare, quo de principatu armis disceptaretur. Quum enim post Crassi et Juliae mortem iam ad bellum se res erupturae viderentur, sublata affinitate, sublato etiam illo, qui *ἔφεδρος τοῦ ἀγῶνος* fuerat, tum duabus aliis rebus Pompeius incitatus est, ut nimis suis opibus confisus ea parare negligeret, quibus munitior esse potuisset. Neapoli e gravi morbo convaluit; quae res cum tota Italia effusa laetitia celebraretur, ipse gratia populari securus nihil sibi contra Caesarem armis aut labore opus esse opinabatur. Eo accessit, quod Appius, qui duas legiones e Gallia reduxerat, falsa rettulit de animo hostili, quem in Caesarem milites haberent. Ad alteram rem operae pretium est diversa Ciceronis iudicia conferre:

Cic. Quaest. Tusc. I. 35. 86. „Pompeio nostro familiari, cum graviter aegrotaret Neapoli, melius est factum. Coronati Neapolitani fuerunt, nimirum etiam Puteolani, vulgo ex oppidis publice gratulabantur: ineptum sane negotium et Graeculum sed tamen fortunatum." Aliter iudicat: Ep. ad Att. VIII. 16. 1. (scr. Formiis a. d. IV Non. Mart. a. 49) „municipia vero deum (Caesarem colunt) nec simulant, ut cum de illo (Pompeio) aegroto vota faciebant."

Legiones in Syriam decretas esse, quae causa interposita sit, cur copiae illae a Caesare auferrentur, Cicero tradit: Ep. ad Fam. II. 17. 5. (scr. Tarsi a. d. XVI Kal. Sext. a. 50) „quod quaeris, quid existimem de legionibus, quae decretae sunt in Syriam, antea dubitabam venturaene essent: nunc mihi non est dubium, quin, si antea auditum erit otium esse in Syria, venturae non sint." Ex Appii nomine qui eas reduxit postea legiones Appianae appellantur: Ep. ad Att. VII. 15. 3. (scr. Capuae a. d. V Kal. Febr. a. 49) „Pompeius ad legiones Appianas est profectus; Labienum secum habet." (§)

Cap. LVIII—Cap. LXIII continent ea quae belli materiam praebuerunt, quaeque Caesare Rubiconem transgresso acciderunt, donec Pompeius Brundisio profectus est.

(§) Ep. ad Att. VII. 20. 1.
» » » VII. 13. 2.

Caesar id agens ut sui defensores Romae haberet, praesentibus nummis Curionem tribunum pl. et Paulum consulem corrupit (§). Huius rei fama in Ciliciam perlata erat ad Ciceronem. Scripsit enim ad Atticum mense Iunio a. 50 (ad Att. VI. 3. 4): „de urbanis rebus scilicet plura tu scis, saepius et certiora audis; equidem doleo non me tuis litteris certiorem fieri, huc enim odiosa afferebantur de Curione et Paulo, non quo ullum periculum videam stante Pompeio vel etiam sedente, valeat modo; sed mehercule Curionis et Pauli meorum familiarum vicem doleo." Quis odiosa illa attulisset, cernitur ex Caelii epistola: Ep. ad Fam. VIII. 6. 5. (scr. Romae mense Febr. a. 50) „quod tibi supra scripsi, Curionem valde frigere, iam calet; nam ferventissime concerpitur; levissime enim, quia de intercalando (†) non obtinuerat, transfugit ad populum et pro Caesare loqui coepit." Huic defectioni, quae quanti momenti fuerit sequentia docuerunt, Cicero haud multum tribuit, quippe qui Caelio rescripserit: (Ep. ad Fam. II. 13. 3) „quid ais? Caesarem nunc defendit Curio? quis hoc putarat praeter me? nam, ita vivam, pu-

(§) A Plutarcho etiam Antonius nominatur, cuius cum Curione qualis fuerit necessitudo, vide: Cic. Philipp. II. 18. 44, nisi illis maledictis fides prorsus deneganda esse videtur.

(†) Ep. ad Att. V. 21. 14.
» » VI. 1. 12.

tavi, di immortales! quam ego risum nostrum desidero." Caelius idem Ciceronem, quum iam e provincia decessisset et iter ingressus esset Romam, de rebus Romanis certiorem fecit: Ep. ad Fam. VIII. 14. 2. (scr. Romae mense Septembri a. 50) „propositum hoc est, de quo qui rerum potiuntur sunt dimicaturi, quod Cn. Pompeius constituit non pati C. Caesarem consulem aliter fieri, nisi exercitum et provincias tradiderit; Caesari autem persuasum est se salvum esse non posse, si ab exercitu recesserit, fert illam tamen conditionem, ut ambo exercitus tradant. sic illi amores et invidiosa coniunctio non ad occultam recidit obtrectationem sed ad bellum se erupit; neque mearum rerum quid consilii capiam reperio; quod non dubito, quin te quoque haec deliberatio sit perturbatura." Conditionem illam, ut ambo exercitus traderent, a Curione in senatu propositam esse Plutarchus narrat: cum enim Marcellus consul Caesarem hostem decerni iuberet, Curio cum Antonio et Pisone senatum verae sententiae coarguit. Eos secedere iussit, qui Caesarem arma deponere, Pompeium magistratum retinere vellent. Postquam vero in eam sententiam plerique iverunt, iterum eos secedere iussit, quibus utrumque exercitu dimisso privatum esse placeret. Digressi sunt omnes praeter viginti duo. Iis collatis quae de hac re in Vita Caesaris leguntur, unum corrigatur necesse est: non Curio sed Marcellus priorem quaestionem proposuit; quod cum per se verisimilius est,

tum Appiani auctoritate confirmatur (§). Apud Plutarchum confusio quaedam haec omnia obtinet; componamus igitur, quae in hac et quae in Caesaris Vita leguntur (Cap. XXX et XXXI), tum quis rerum ordo fuerit, aliquanto melius augurari licebit: ubi veram senatus sententiam Curio elicuit, turbulentae contiones sequuntur, falsoque rumore Romae percrebrescente Caesarem legiones Alpes traduxisse, Marcellus sua sponte nullo senatus consulto Pompeio demandat, ut patriae opem ferat; deinde Antonius in tribunatu Curionis successor Pompeium impugnare pergit (†), de ultimis Caesaris conditionibus ad senatum refert easque ad populum evulgandas curat; tandem tribuni e senatu expulsi ad Caesarem confugiunt. His summatim in ordinem redactis perspicuum est Plutarchum errare narrantem: (Cap. LIX) *„οἱ δὲ περὶ Λέντλον ὑπατεύοντες ἤδη βουλὴν οὐ συνῆγον.“* Immo etiam ex ipso senatu, ut ita dicam, tribuni Roma profugerunt neque Plutarchus, quum Caesaris vitam describeret, in hunc errorem inciderat (*). Senatus etiam tum habitus est, postquam tribuni ad Caesarem profecti sunt (Caes. de B. C. I. 6).

Quae tandem ad pacem conservandam acta sint, Plutarchus hoc modo exposuit: Caesar petivit ut Gallia Cisalpina et Illyricum sibi cum duabus legionibus

---

(§) Appian. de Bell. Civ. II. 30.

(†) cf. Ep. ad Att. VII. 8. 5.

(*) Plut. Caes. Cap. XXX.

concederetur usque ad alterius consulatus petitionem ; Cicero autem reversus modo e Cilicia de reconciliatione agebat, Pompeiumque mitigabat, ut in aliis concederet, legiones tantum Caesari adimeret. Itaque rursum Cicero persuasit amicis Caesaris, ut contenti provinciis illis militumque sex milibus concordiam pacemque admitterent. Quibus conditionibus quominus Pompeius moveretur, Lentulus consul obstitit praebuitque Caesari speciosam belli causam, Antonio cum Curione ignominiose e senatu expulso. Magnae igitur ex Plutarchi sententia partes tribuuntur Ciceroni neque ipsius verba desunt, quae idem testari videntur: (Ep. ad. Fam. 6. 6. 6) „causa orta belli est: quid ego praetermisi aut monitorum aut querelarum! cum vel iniquissimam pacem iustissimo bello anteferrem. victa est auctoritas mea, non tam a Pompeio — nam is movebatur — quam ab iis, qui duce Pompeio freti peropportunam et rebus domesticis et cupiditatibus suis illius belli victoriam fore putabant." Haec epistola scripta est ad Caecinam a. 46 triennio fere postquam res, de quibus agitur, factae sunt. Quamquam igitur cum his verbis narratio Plutarchi bene congruit, tamen satis causae non est, cur fide digna iudicari possit. Quid Cicero tunc egerit, potius colligendum est ex epistolis eorundem temporum. In his autem pacificationis nec vola nec vestigium exstat: Cicero ex itinere, cum nondum ad urbem accessisset, bis Pompeium convenit. Ep. ad Att. VII. 4. 2 (scr. medio

mense Decembri) „Pompeium vidi IV Idus Dec., fuimus una duas horas fortasse... de republica autem ita mecum locutus est, quasi non dubium bellum haberemus nihil ad spem concordiae...." Post paucos dies iterum cum Pompeio congressus est: Ep. ad Att. VII. 8. 4 (scr. in Formiano V Kal. Ian.) „quod putasti fore ut ante quam istuc venirem Pompeium viderem, factum est ita: nam VI Kal. ad Lavernium consecutus est; una Formias venimus et ab hora octava ad vesperum secreto collocuti sumus. quod quaeris, ecquae spes pacificationis sit, quantum ex Pompeii multo et accurato sermone perspexi, ne voluntas quidem est; sic enim existimat, si ille vel dimisso exercitu consul factus sit, *σύγχυσιν τῆς πολιτείας* fore, atque etiam putat eum, cum audierit contra se diligenter parari, consulatum hoc anno neglecturum ac potius exercitum provinciamque retenturum; sin autem ille fureret, vehementer hominem contemnebat et suis et rei publicae opibus confidebat." Quum igitur ne voluntas quidem Pompeii fuerit, ut pax servaretur, impetu Catonis et Lentuli ad eum incitandum opus non erat (§). Merito ad Tironem Cicero scripsit: (Ep. ad Fam. XVI. 11. 2. scr. ad urbem prid. Id. Ian. a.49) „incidi in ipsam flammam civilis discordiae vel potius belli," at plus aequo sibi sumsit, adiiciens: „cui cum cuperem mederi *et, ut arbitror, possem*, cupiditates cer-

(§) cf. Plut. Pomp. Cap. LIX.

torum hominum — nam ex utraque parte sunt qui pugnare cupiant — impedimento mihi fuerunt." In eadem epistola ultimae conditiones, quas Caesar ad senatum tulit „minaces et acerbae litterae" vocantur; quae verba documento sunt, Ciceronem omnino expertem fuisse illius actionis de pace. Numquam enim conditiones Caesaris tali vocabulo significasset, si ipse, quae Plutarchi sententia est, illarum auctor fuisset.

Postquam ad nihilum recidere quaecunque acta erant de pace, Caesar Rubiconem transiit; cuius rei fama Romam allata terrore urbem implevit. Bello minime provisum erat, omnibus locis trepidabatur neque Pompeii auctoritas quicquam valebat, quum aliis alia suadentibus ipsi suis consiilis uti non liceret. Merito arguebatur, quod suos decepisset, nec mirum quin Plutarchus hanc criminationem attribuerit L. Volcatio Tullo, quippe qui etiam postea inter eos esset, qui Pompeium Italia cedentem sequi noluerunt (Ep. ad Att. VII. 3. 3, IX. 10. 7).

Recessus ab urbe quanta omnium rerum perturbatione coniuncta fuerit, Plutarchus enarrat: *Cap. LXI.* Cicero per litteras dolorem suum de illa „turpissima fuga" (§) Attico impertit, passimque in questus se effundit, quod omnia tam stulte et incaute agerentur. e. g. (Ep. ad Att. VII. 12. 1.) „quod rogas curem ut scias

(§) Ep. ad Att. VIII. 3. 3.

quid Pompeius agat, ne ipsum quidem scire puto; nostrum quidem nemo." Rerum conditionem egregie his verbis expressit: „commissum quidem a nobis certe est sive a nostro duce, ut e portu sine gubernaculis egressi, tempestati nos traderemus (§)" Consilium urbis relinquendae reprehenditur Themistoclis et Periclis allato exemplo, quod Plutarchus (Cap. LXIII) ad Pompeium copias ex *Italia* deducentem rettulit. Ep. ad Att. VII. 11. 3 „Quale tibi consilium Pompeii videtur? hoc quaero quod urbem reliquerit... „non est, inquit, in parietibus res publica," at in aris et focis. „fecit Themistocles; fluctum enim totius barbariae ferre urbs una non poterat," at idem Pericles non fecit, annum fere post quinquagesimum, cum praeter moenia nihil teneret, et nostri olim urbe reliqua capta arcem tamen retinuerunt." (†)

Graviore errore Plutarchus se implicuit, quum narraret (*Cap. LXII*) Romam occupatam esse a Caesare, antequam Pompeium Brundisii obsederit. In Caesaris Vita (Cap. XXXV) hoc melius exponitur itemque Ciceronis testimonio liquido confirmatur Caesarem, dum Pompeius in Italia versaretur, pedem Romam non intulisse sed Corfinio capto recta via contendisse Brundisium. Ep ad Att. VIII. 14. 1. (scr. Formiis a. d. VI Non. Mart. a. 49) „eodem die video Caesa-

---

(§) Ep. ad Att. VII. 13. 2.

(†) Cf. Ep. ad Att. X. 8. 4.

rem a Corfinio post meridiem profectum esse, id est Ferialibus, quo Canusio mane Pompeium. Eo modo autem ambulat Caesar... ut timeam ne citius ad Brundisium, quam opus sit, accesserit." Paucis diebus postquam hae litterae scriptae sunt, Caesar ad Brundisium venit: ipsius enim epistolam, qua Oppium et Balbum huius rei certiores fecit, Cicero nobis servavit. Ep ad. Att. IX. 13. A. 1."

„Caesar Oppio Cornelio sal.

A. d. VII. Id. Martias Brundisium veni, ad murum castra posui. Pompeius est Brundisii, misit ad me N. Magium de pace (§): quae visa sunt respondi."

Cur N. Magius a Pompeio delectus sit, qui pacis conditiones ferret, intelligitur ex alia Caesaris epistola: (Ep. ad Att. IX. 7. C. 2.) „N. Magium, Pompeii praefectum, deprehendi: scilicet meo instituto usus sum et eum statim missum feci, iam duo praefecti fabrum Pompeii in meam potestatem venerunt et a me missi sunt; si volent grati esse, debebunt Pompeium hortari, ut malit mihi esse amicus quam iis, qui et illi et mihi semper fuerunt inimicissimi, quorum artificiis effectum est, ut res publica in hunc statum perveniret." Nec Caesari satis erat N. Magium missum fecisse, sed etiam ad ipsum Pompeium cum certis mandatis eum remisit id agens, ut sibi

---

(§) Ergo refellitur quod (Caesar de Bello Civ. I. 26) traditum est, N. Magium remissum non esse a Pompeio.

primo adventu colloquendi facultas daretur; coram enim de omnibus conditionibus disceptare voluit. (Caes. de Bello Civ. I. 24). Ex his quae de N. Magio pacis interprete tradita sunt, simul apparet, quatenus Plutarchus fide dignus sit enarrans: (*Cap. LXIII*) *„ἐδήλωσε δὲ Καῖσαρ ἔργῳ σφόδρα φοβούμενος τὸν χρόνον. Ἑλὼν γὰρ Νουμέριον Πομπηίου φίλον ἀπέστειλεν εἰς Βρεντέσιον ἐπὶ τοῖς ἴσοις ἀξιῶν διαλλαγῆναι. Νουμέριος δὲ Πομπηίῳ συνεξέπλευσεν.*" De L. Caesare qui iam ante N. Magium de pace missus erat Plutarchus tacet. Cf. Ep. ad Att. VII. 13—18, Caes. de Bello Civ. I. 8—14.

Antequam Pompeius ipse Brundisio profectus est, partem copiarum cum consulibus praemisit. Cap. LXII: *„ὁ δὲ τὸ Βρεντέσιον κατασχὼν καὶ πλοίων εὐπορήσας τοὺς μὲν ὑπάτους εὐθὺς ἐμβιβάσας καὶ μετ' αὐτῶν σπείρας τριάκοντα προεξέπεμψεν εἰς Δυρράχιον.*" Hinc rumor exstitit ipsum cum omnibus militibus a. d. IV. Non. Mart. naves conscendisse. (Ep. ad Att. IX. 6. 3). Ciceroni autem paulo post alius nuntius afferebatur; ipse Matii et Trebatii epistolae exemplum memoriae prodidit: (Ep. ad Att. IX. 15. 6) „Cum Capua exissemus, in itinere audivimus Pompeium Brundisio a. d. XVI Kal. Apr. cum omnibus copiis, quas secum habuerit, profectum esse; Caesarem postero die in oppidum introisse, contionatum esse, inde Romam contendisse, velle ante Kal. esse ad urbem et pauculos dies ibi commorari, deinde in Hispanias proficisci." Caesar itaque sexaginta diebus nullo sanguine effuso

tota Italia potitus (§), Romam occupavit. Tum acta sunt quae Plutarchus temporis ordinem negligens Capite LXII commemoravit: Caesarem iracundia elatum occidere voluisse Metellum tribunum pl., quum obstiterit quominus pecunia ex aerario auferretur (†). Ciceronem haec res nova spe imbuit: (Ep. ad Att. X. 8. 6.) „nullo enim modo posse video stare istum diutius, quin ipse per se etiam languentibus nobis concidat; quippe qui florentissimus ac novus, VI., VII. diebus ipsi illi egenti ac perditae multitudini in odium acerbissimum venerit, qui duarum rerum simulationem tam cito amiserit, mansuetudinis in Metello, divitiarum in aerario." Quantopere haec spes Ciceronem fefellerit verbis demonstrare non opus est.

Restat ultima pars huius Vitae: exitus belli civilis postquam in Graecia geri coeptum est, pugna apud Pharsalum, fuga et mors Pompeii. *Cap. LXIV—LXXII* conveniunt cum Caesaris Vita: Cap. XXXVII—XLVI; de ultimis autem Capitibus (*LXXII—LXXX*) idem valet, quod de huius Vitae initio dictum est: nonnulla narrantur quae aliunde nota non sunt; agitur enim de privata Pompeii fortuna ideo melius a Plutarcho exposita, quia more suo privatas res

(§) Plut. Pomp. Cap. LXIII.

(†) Ep. ad Att. X. 4. 8.

maiore studio descripsit quam publicas. Attamen quum de illis postremis fatis Cicero nihil amplius significaverit quam quae disperse subinde inveniuntur, a proposito meo alienum esse videtur pluribus verbis in ea inquirere; itaque paucis absolvam iis tantum locis collatis, quorum ratio habenda est.

Quam negligenter Plutarchus ea tradiderit quae in Caesaris Vita iam tractavisset, rursus eo apparet, quod de Labieno, qui a. d. VIII. Kal. Febr. Teani Pompeium consulesque convenerat (Ep. ad Att. VII. 13, 4.) mentionem fecit (Cap. LXIV) inter eos, qui Pompeio tum demum se adiunxerunt, quum is in Graeciam traiecisset. (cf. Plut. Caes. Cap. XXXIV).

Cicero a. d. VII. Id. Iun. in portu Caietano conscendit (Ep. ad Fam. XIV. 7. 2.); mense Quintili in castris Pompeii ad Atticum scripsit (XI. 4. I.): „meas litteras quod requiris, impedior inopia rerum, quas nullas habeo litteris dignas, quippe cui nec quae accidunt nec quae aguntur ullo modo probentur." Eadem epistola Brutus nominatur, quem etiam Plutarchus (Cap. LXIV) commemorat: „Brutus amicus; in causa versatur acriter."

De bello civili in Graecia gesto imprimis conferatur: Ep. ad Fam. VII. 3. 2 „(ad bellum proficiscens) pudori malui famaeque cedere quam salutis meae rationem ducere. cuius me mei facti paenituit non tam propter periculum meum quam propter vitia multa, quae ibi offendi, quo veneram: primum neque magnas copias neque

bellicosas; deinde, extra ducem paucosque praeterea — de principibus loquor — *reliquos primum in ipso bello rapaces, deinde in oratione ita crudeles, ut ipsam victoriam horrerem;* maximum autem aes alienum amplissimorum virorum. quid quaeris? nihil boni praeter causam. quae cum vidissem, desperans victoriam primum coepi suadere pacem, cuius fueram semper auctor; deinde, cum ab ea sententia Pompeius valde abhorreret, suadere institui, ut bellum duceret: hoc interdum probabat et in ea sententia videbatur fore et fuisset fortasse, *nisi quadam ex pugna coepisset suis militibus confidere.* ex eo tempore vir ille summus nullus imperator fuit: signa tirone et collecticio exercitu cum legionibus robustissimis contulit; victus turpissime amissis etiam castris solus fugit." Quae de Pompeianorum consiliis (Cap. LXVII) narrantur cum hoc Ciceronis iudicio bene congruunt, itemque ad pugnam illam, quam Pompeio tantopere animum addidisse Cicero contendit, hoc Caesaris dictum referendum est: (Cap. LXV) *„σήμερον ἂν ἡ νίκη παρὰ τοῖς πολεμίοις ἦν, εἰ τὸν νικῶντα εἶχον."*

De Pompeii fuga duae res apud Ciceronem leguntur, quas Plutarchus praetermisit: Pompeium eiusque comites a Rhodiis non esse receptos et Paphum appulisse. Ep. ad Fam. XII. 14. 3, Philipp. II. 15. 39.

„Ne utilem quidem nobis esse futurarum rerum scientiam" probatur Pompeii exemplo: (Cic. de Divin. II. 9. 22.) „An Cn. Pompeium censes tribus suis

consulatibus, tribus triumphis, maximarum rerum gloria laetaturum fuisse, si sciret se in solitudine Aegyptiorum trucidatum iri amisso exercitu, post mortem vero ea consecutura, quae sine lacrimis non possumus dicere?"

Pompeii comites denique testes adhibentur (Cic. Tusc. III. 27. 66.) ad sententiam confirmandam, aegritudinem timore repelli posse: „Constabat eos, qui concidentem vulneribus Cn. Pompeium vidissent, cum in illo ipso acerbissimo miserrimoque spectaculo sibi timerent, quod se classe hostium circumfusos viderent, nihil aliud tum egisse nisi ut remiges hortarentur et ut salutem adipiscerentur fuga; posteaquam Tyrum venissent, tum adflictari lamentarique coepisse." His prorsus contrarium, sed humanae naturae haud minus consentaneum est quod Plutarchus (Cap. LXXX) enarrat, ab iisdem eiulatum editum esse, qui in terram usque exaudiretur.

THESES.

THESES.

I.

In Pompeii et aequalium eius Vitis Plutarchus praeter singulos cuiusque fontes uno auctore communi fonte usus est.

II.

Fons singularis in Pompeii Vita Theophanes Mytilenaeus fuit.

III.

Herod. lib. IV. cap. XXVIII: *ἔνθα τοὺς μὲν ὀκτὼ τῶν μηνῶν ἀφόρητος οἷος γίνεται κρυμός, ἐν τοῖσι ὕδωρ ἐκχέας πηλὸν οὐ ποιήσεις, πῦρ δὲ ἀνακαίων ποιήσεις πηλόν.*

Expungatur ultimum vocabulum.

IV.

Ibid. cap. XXXIV : *αἱ μὲν πρὸ γάμου πλόκαμον ἀποταμνόμεναι καὶ περὶ ἄτρακτον εἰλίξασαι ἐπὶ τὸ σῆμα τιθεῖσι.*

Pro *ἀποταμνόμεναι* lege *ἀποταμόμεναι.*

V.

Thuc. III. 34 : *οἱ δὲ ὑπεξελθόντες τούτους (καὶ ὄντες φυγάδες) τὸν Πάχητα ἐπάγονται.*

Verba uncinis inclusa eiicienda sunt.

VI.

Thuc. III. 109 : *Μενεδάιος δὲ.... ἀπορῶν.... ὅτῳ τρόπῳ ἢ μένων πολιορκήσεται, ἔκ τε γῆς καὶ ἐκ θαλάσσης (ταῖς Ἀττικαῖς ναυσὶν) ἀποκεκλημένος....*

Verba *ταῖς Ἀττικαῖς ναυσὶν* deleantur.

VII.

Thuc. VI. 57 : *καὶ εὐθὺς ἀπερισκέπτως προσπεσόντες καὶ ὡς ἂν μάλιστα δι' ὀργῆς, ὁ μὲν ἐρωτικῆς, ὁ δ' ὑβρισμένος, ἔτυπτον καὶ ἀποκτείνουσιν αὐτόν. καὶ ὁ μὲν τοὺς δορυφόρους τὸ αὐτίκα διαφεύγει, ὁ Ἀριστογείτων, ξυνδραμόντος τοῦ ὄχλου, καὶ ὕστερον ληφθεὶς οὐ ῥᾳδίως διετέθη· Ἁρμόδιος δ' αὐτοῦ παραχρῆμα ἀπόλλυται.*

Male abundat Aristogitonis nomen.

VIII.

Sophocl. Aiax vs. 1019 sq. :

τελος δ' ἀπωστὸς γῆς ἀπορριφθήσομαι,
δοῦλος λόγοισιν ἀντ' ἐλευθέρου φανείς.

Pro *λόγοισιν* legendum videtur *βροτοῖσιν.*

IX.

Plut. Pomp. cap. XLVI: *ὧν ὁ βδελυρώτατος καὶ θρασύτατος Κλώδιος ἀναλαβὼν αὐτὸν ὑπέρριψε τῷ δήμῳ καὶ παρ' ἀξίαν κυλινδούμενον ἐν ἀγορᾷ ἔχων.....*

Pro *κυλινδούμενον* lege *καλινδούμενον.*

X.

Plut. Dio cap. XXII: *Σπευσίππου δὲ καὶ τῶν ἄλλων ἑταίρων τῷ Δίωνι συλλαμβανόντων καὶ παρακελευομένων ἐλευθεροῦν Σικελίαν χεῖρας ὀρέγουσαν αὐτῷ καὶ προθύμως ὑποδεχομένην.*

Pro *ὑποδεχομένην* lege *ὑποδεξομένην.*

XI.

Plut. Brutus cap. XLIX: *Τοῦτον ἰδὼν ὁ Βροῦτος ἤλγησεν ἰσχυρῶς.*

Pro *τοῦτον* lege *τοῦτ'.*

XII.

Appian. De reb. Maced. IX. 4: *καὶ σωφρόνως ἀντὶ μέθης καὶ τρυφῆς ἄρχει.*

Pro *ἀντὶ* lege *ἄνευ.*

XIII.

Ibid. De bell. Mithr. cap. CXVII: *Μιθριδάτου δὲ*

καὶ ἡ πολιορκία, καὶ ἡ νὺξ, ὅτε ἔφευγεν, εἵκαστο, καὶ ἡ σιωπή.

Pro *ἡ σιωπή* lege *ἡ Σινόρηξ.*

XIV.

Dio Cass. L. 13: *ἔδοξε δ' οὖν ὡς καὶ κατεγνωκὼς τῶν πραγμάτων παρ' οἷς ἦν ἠὐτομοληκέναι.*

Pro *κατεγνωκὼς* lege *ἀπεγνωκὼς.*

XV.

Athen. Deipnos. pag. 237. e. (Timoclis fragmentum vs. 6 sq.):

ἐρᾷς, συνεραστὴς ἀπροφάσιστος γίγνεται.
πράττεις τι, πράξει συμπαρὼν ὅ τι ἂν δέῃ,

Pro *πράξει* lege *πράττει.*

XVI.

Cic. pro Cluentio 32. 87: An is praevaricaretur? *nam* id quoque ad corrumpendum iudicium pertinet. Sed quid opus erat ad eam rem iudice sequestre?

Cum codicibus legas: iam.

XVII.

Cic. pro C. Rabirio. 5. 15: Sed moreretur prius acerbissima morte milies C. Gracchus, quam in eius contione carnifex consisteret: quem non modo foro sed

etiam caelo hoc ac spiritu censoriae leges (atque urbis domicilio) carere voluerunt.

Delenda quae uncinis inclusi.

XVIII.

Cic. de Domo sua 28. 74: Proximus est huic dignitati ordo equester: Omnes omnium *publicorum* societates de meo consulatu ac de meis rebus gestis amplissima atque ornatissima decreta fecerunt.

Pro publicorum legendum publicanorum.

XIX.

Cic. in Vatinium 10. 24.

Quae hoc loco leguntur cum sequentibus aptius cohaerebunt, si ultima vocabula: „delere voluisti" expunguntur.

XX.

Vell. Pat. II. 33: *qui* alioqui per omnia laudabilis et bello paene invictus pecuniae pellebatur cupidine.

Pro qui lege quia.

XXI.

Rutil. Lup. II. 16: et propter huius honoris dignitatem superbiae nostrae nemo *vestigium* experitur.

Lege: fastidium.

XXII.

Sueton. Div. Iul. XX: Unus ex eo tempore omnia in re publica et ad arbitrium administravit, ut nonnulli urbanorum, cum quid per iocum testandi gratia signarent, non Caesare et Bibulo sed Julio et Caesare consulibus actum scriberent (bis eundem praeponentes nomine atque cognomine).

Assentiendum Lipsio, qui verba uncinis inclusa pro adulterinis habuit.

XXIII.

C. Memmius, quaestor van Pompeius in den oorlog tegen Sertorius en C. Memmius, trib. pl. in het jaar 66 zijn verschillende personen.

XXIV.

Het eerste driemanschap is gesloten, *nadat* Caesar tot consul was verkozen.

XXV.

Ten onrechte beweert Th. Mommsen (Hermes XV pag. 99), dat Porcia, de echtgenoote van M. Brutus, niet de dochter maar de zuster van M. Cato zoude geweest zijn.

FEB 2'69 H
191346
CORNELL

Gp 86.537
Plutarchi vita Pompeii cum Ciceroni
Widener Library 001835662
3 2044 085 160 588